

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Certamen Oratorivm De Militari Gloria Inter septem  
Milites Hispanvm, Germanvm, Francvm, Italvm, Polonvm,  
Belgam, Hungarvm**

**Vernulaeus, Nicolaus**

**Coloniae, 1623**

[urn:nbn:de:bsz:31-107383](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107383)







2

CERTAMEN  
ORATORIUM  
DE  
MILITARI  
GLORIA

*Inter septem Milites*

HISPANVM, GERMANVM,  
FRANCVM, ITALVM,  
POLONVM, BELGAM, *Lus*  
HUNGARVM.

Stylo NICOLAI VERNVLAEI  
*Publici Eloquentiae Professoris*  
*Lovanij.*



---

COLONIAE,  
Apud CONRADVM Butgen ium *us*  
Anno M. DC. XXIII.

1623





Illustr. mo & Excell. mo

HEROI

AMBROSIO

SPINOLÆ

DUCI SANSEVERINI,

PRINCIPI SARAVALLÆ,

MARCHIONI VENAFRI,

EQVITI AVREI VELLERIS.

PHILIPPO IV.

Hispan. & Indiarum Regi,  
Principi Belgarum &c.

A CONSILIIIS BELGICIS,  
MAGNO PALATII MAGISTRO,  
SUPREMO MILITIE PRAEFECTO

DOMINO SVO

Felicitatem & Victoriam  
precatur

NICOLAUS VERNVLAEVS.





## EPISTOLA



I permittis, ILLV-  
TRISSIME & EXCEL-  
LENTISSIME PRIN-  
CEPS, Ecce Castra tua  
subeunt diuersarum Nationum Mi-  
lites Septem, & ad EXCELLEN-  
TIAE TVAE Iudiciū prouocant.  
De Militari Gloria inter se certant,  
& eam sibi ac suæ Nationi vendi-  
care quisque contendit. Heroicæ  
sunt altæq; Indolis omnes, in qui-  
bus generosus sanguis nihil nisi  
Militarem Laurum concupiscit.  
Ut autem rationum momentis in  
hac Arena, non gladijs aut hastis  
agant, Stylum ferreum ponunt,  
Oratorium assumunt. Ita fit, vt sin-  
guli suorum armorum merita al-  
legent, & supremam Belli Gloriã  
tanquam



DEDICATORIA.

tanquam sibi debitam depoſcant.  
Omnes vero TE IVDICEM con-  
ſenſu vnanimi eligunt, & ſtare ac  
quieſcereque EXCELLENTIAE  
TVAE Arbitrio ſunt parati, quod  
& Te omnium Belli Ducum hoc  
tempore maximum, & perfectæ  
Militiæ Miraculū agnoſcant. Imò  
etiam libenter eius Ducis ſenten-  
tiam expectant, cuius ductu & au-  
ſpicijs glorioſam ſanè Militiam ſi-  
bi ducunt. Adeò non tantum ſub  
SPINOLA ſemper vincere, ſed et-  
iam militare glorioſum eſt. Id fa-  
tentur & deprædicant Hiſpani, Ita-  
li, Germani, Galli, Belgæ, qui cum  
in Caſtris tuis tuorum armorum  
Gloriam admirentur, ſapientiſſi-  
ma conſilia & inuſitatam pruden-  
tiam quotidie ſuſpiciant, tū EXC.  
TVAE libenter ſubſunt. Nec ſatis  
ſanè quiſquā Bellicoſum ſe putat,  
niſi ſub SPINOLA Militiæ & Ar-  
morum Magiſtro Tyrocinium po-

EPISTOLA

stiterit. Poloni verò ac Hungari, et  
 si sub tuis signis ac vexillis hodie  
 non sint, TUA E tamen EXCEL-  
 LENTIA E Illustre Nomen Glorio-  
 sissimâ Fama notum ita beneuolo  
 animo venerantur, vt Militiæ Tuæ  
 dare nomen optent, & TE ARBI-  
 TRVM pro Gloria obtinenda non  
 recusent: Aiunt enim Iudicare de  
 singularum Nationum fortitudi-  
 ne, armis, & militia solum SPINO-  
 LAM posse, qui omnem armorum  
 Gloriam insigni animi magnitu-  
 dine supra Inuidiam sibi vendica-  
 uit, & sub quo Nationes ferè om-  
 nes summâ solent cum laude Mili-  
 tare. Quod cum ita sit, ILLVSTRE  
 DOMINE, submissis parumper  
 EXC. TUA E fascibus, audi, obse-  
 cro, Milites hos de gloria Milita-  
 ri tam gloriosè concertantes, &  
 pro tua singulari prudentia, expe-  
 rientiaque, iudica. Nemo eorum  
 ab Arbitrio sententiaque tua pro-  
 uocabit,

DE  
 uocabit  
 rum aliam  
 Etiam fur  
 à Summo  
 animos su  
 LENTIA E  
 promptitu  
 vero vt D  
 tam glor  
 conatibu  
 pro Reli  
 riam cor  
 Louani



*DEDICATORIA.*

uocabit, & Gloriæ sibi quisquetan-  
tum assumet, quantum tribueris.  
Etiam summæ laudi sibi ducent,  
à Summo Duce laudari. Interea  
animos suos & arma EXCEL-  
LENTIÆ TVAE, qua possunt  
promptitudine, consecrant. Ego  
vero vt Deus optimus Maximus  
tam gloriosis armorum tuorum  
conatibus aspiret, & de Hostibus  
pro Religione, Rege, Patria victo-  
riam concedat, voueo & optestor,  
Louan III. Id. Aug. CIO. IO. XXII.



A 4 AD





## AD LECTOREM.



**H**N, Lector, ad Certamen  
te vocamus, non ut pu-  
gnes, sed spectes. Pugnant  
Ingenui & Docti Iuue-  
nes, Auditores mei & Eloquentiæ  
Candidati, nõ ut sanguinem eliciant,  
sed Eloquentiæ specimen exhibeant.  
Huic ipsi industriam & operam suam  
sub me consecrant, ut Reipublicæ ali-  
quando profint. Placuit in Nobili Ar-  
gumento, De Gloria Militari, vires  
suas probare, ut tibi imprimis mate-  
ria dignitate placerent, tum ut glo-  
riosius sese exercerent. Quippe de Glo-  
ria Militari certantes Gloriam qua-  
suerunt; & cum Milites agerent,  
Oratores videri voluerunt. Suam  
Palladem armatam esse non ignorant,  
qua laeva librum, dextrâ hastam te-  
neat. Ita verò certauerunt, ut cum  
vince-

vincere singuli contenderent, nemo  
tamen sit victus. Gloriam omnes &  
album calculum reportauerunt, ne-  
mo nigrum. Neque animus erat suam  
laudem vlli Nationi diminuerē, sed  
sanè augere. Adeò laudare placuit,  
non vituperare. Tu si vis, iudica de  
principatu. Nec mireris septem tan-  
tum in hac Arena Nationes com-  
parere. Inter Europæ populos hoc cer-  
tamen est, in ea vero qui præterea po-  
puli supremam sibi armorum Gloriã  
vendicent? Britãnos scimus strenuis-  
simos, quorum tot in Gallijs trophæa;  
validissimos Bohemos & robore vere  
martio fortissimos; generosos & seue-  
ro in Hostes animo Burgundos; manu  
animosq; bellicosos Sabaudos; omni ar-  
morum genere præstantes Lotharin-  
gos; alios Martiales omnes populos;  
sed qui aut septem his Nationibus ad-  
iungantur, aut sanè certare de Glo-  
ria cū ijs non possint. Tu hisce frue-  
re, Candide Lector, & generosis conati-  
bus faue.

A 5

CER.



CERTAMEN  
HOC ORATORIVM  
SVBIERVNT

Ingenui & Eruditi

JVVENES

Eloquentie Candidati

Hilduardus Daen Teneramunda-  
nus, *qui Hispanum militem egit.*

Petrus Berurier Crispiniensis, *qui  
Germani personam induit.*

Paulus Hermans Louaniensis, *qui  
Franci partes suscepit.*

Laurentius Impens Louaniensis,  
*qui pro Italò concertavit.*

Ioannes Simonius Fleuricensis, *qui  
pro milite Polono dixit.*

Ioannes Franciscus de Vroey, Lo-  
uaniensis, *Miles Belga.*

Geor-



Georgius Schryuerius Thenensis,  
*qui Hungarum representauit.*

III. Idus Aug. clb. loc. xxii.

LOVANI  
IN PVBLICA  
ARTIVM SCHOLA  
Spectante & Audiente  
Academia.

---

Censura.

*Oratorium hoc de Gloria Militari Certamen, cum incrementum sit, sine mutilationis atque irregularitatis periculo iniri, & ubi vobis, renouari poterit: lectum sane non minus eleganti styli, quam Historica narratione placebit.*

GVIL. FABRICIVS, Apostolicus  
ac Regius Librorum Censor.

B 6

CER.



CERTAMEN  
ORATORIVM  
DE  
GLORIA MILITARI.

ORATIO I.

*Hispani Milites*



N Arenam igitur hodie, si  
Dijs placet, Hispani prouo-  
camur. Prouocant Germa-  
ni, Galli, Itali, Poloni, &  
ne quid pudori desit, etiam  
alij Populi minores. Sanè  
dubia esse militaris Laurea non potest, quæ  
Hispanorû semper vertices coronauit: quo-  
niam tamen eam nobis inuidere, eripere cæ-  
teri non possunt, in Arenam, per me equi-  
dem licet, descēdamus. Hispanorum ea laus  
est immortalis alios vincere, aliorum gloria  
est



est vinci ab Hispanis. Sed pudet hodie linguâ, non gladio certare, neque enim Hispanorum est verbis gloriam quærere, sed armis. Da veniam & ignosce ò Bellatrix & vtriusque mundi victrix Hispania; ego hodie miles tuus, tuam Gloriam propugnabo, quâ eripere tibi nunquam illa olim Romanorum arma potuerunt, tantum verò ducentis annis tuas prouincias vtrumque labefactauerunt. Nemo vnquam Hispanicus est appellatus, quia nemo vnquâ te vicit. Tuam amicitiam cum per Legatos Magnus Alexander accepisset, tum sibi prius rerum omnium Dominus est visus. Te cum aliquando pacauisset Iulius Cæsar inter præcipua suorum Militum decora connumeravit. In te cum defectionem aliquam Augustus Nero intellexisset animo fracto collapsus actum esse de se pronuntiauit. Vnica tantum vrbs tua Numantia Imperij Romani terror est appellata. Tanta olim fuisti, tanta hodie, imò maior es, ò Hispania, & tamen quæ te Gentes omni ætate horruerunt, tecum ecce de Militari Gloria certare concupiscunt. Certemus. Quæritisne, vos Populi, quibus maioribus orti sumus Hispani, qui Militaris gloriæ laurum nobis vendicamus? Ijs sanè, quibus militares equi & arma sanguine ipso erant chariora. Qui assueti erant.



*Non vitam sine Marte pati; quippe omnium  
in armis*

*Lucis causa sita, & damnatum viuere Paci.*

Quibus corpora ad inediam erant, & laborerent parata, animi ad mortem. Qui in acie cum essent, tãquam vita gloriosè excessuri, exultabant; cum in morbo, tanquam turpiter & miserabiliter perituri, lamentabatur. Quibus cum aliquando Portius Cato quorundam offensus rebellione arma ademisset, cum nullam ipsi sine armis vitam arbitraretur, ultro sibi mortem conscierunt. Quis Cantabros (Biscainos hodie appellamus) vnquam ignoravit

--- *Hyemisq; aestusq; famiq;*

*Inuitos, palmãq; ex omni Marte ferentes?*  
Illi maiores sunt nostri, qui ne seruitutem aliquando seruirent, igne, ferro, veneno à captiuitate sese vindicauerunt. Quis Astures, bellicosissimam sanè Gentem, non audivit? Illi maiores sunt nostri, qui Augustum trepidare sub armis fecerunt; qui excusso Maurorum iugo vniuersam continuis bellis Hispaniam recuperauerunt. Quis Viriãtam, qui Romanos quatuordecim annis varia victoria fatigauit, & vinci nisi dolo non potuit; quis Lusitanos, qui eorundem Romanorum potentiam sua virtute concusserunt, nõ omni æuo est admiratus? Hi maiores sunt nostri;

nostri, tanti illi, ac tales Hispaniæ populi,  
 apud quos ceterorum populorū Duces mili-  
 tiæ Tyrocina fecerunt; quorum virtuti ces-  
 sit Græcia, cessit Asia, cessit Oriens, & Septē-  
 trio dum Romanorum arma inuerunt. Nēc  
 nos hodie vel animis vel armis ab eorum  
 Bellica virtute degeneramus, quā cum luce  
 nascentes haurimus. Tanti illi ac tales olim  
 extiterunt, tanti hodie ac tales sumus Hi-  
 spani, vt non immerito, (audite vos, & au-  
 dian posteri) vniuersus credat Orbis Hispani-  
 um vnum quatuor Germanis, tribus Gal-  
 lis, duobus Italis æquialere. Addo etiam  
 plus in vnius Hispani manu roboris esse,  
 quam in Turcarum, aut Indorum, aut Bar-  
 barorum aliorum decem lacertis. Nimirum  
 nos hominum genus sumus robustissimum,  
 & laboris ad arma patientissimum. Nobis  
 inedia, vigiliæ, fitis, fames, sudor, & ad om-  
 nem militiæ disciplinam obsequium ita lu-  
 dus est, vt præcipue virtutis partem esse ma-  
 lis ac periculis non fatigari credamus. Ani-  
 mi nostri graues sunt, ac cum pondere quo-  
 dam generosi; vt cū ad omnia pericula per-  
 uicaces existamus, tam ne tempore quidem  
 aut tædio vincimur. Quem semel locum in-  
 sedimus, hūc semper ita retinemus, vt amo-  
 ueri non possimus. Hæc est Hispanorum  
 constantia. Modicus plerumq; panis iam af-  
 fuetis rigidissimæ virtuti corpor. b. nostris  
 suffi-



sufficit. Hęc est Hispanorum frugalitas. Mutuo nos vt fratres diligimus, laceros Commilitones libenter vestimus, ægros benignissimè iuuamus, nouitios & in numerum nostrum militari Sacramento receptos erudimus, ac peccantes humanissimè corripiamus. Hęc est Hispanorum charitas. Nulla inter nos sunt turbæ, nullæ in Regem aut Prefectos seditiones, & extrema pati potius in votis est, quam tumultuari. Hęc est Hispanorum fides, qui cum se Ducibus aliquibus deuenerunt, non prius fidem apud eos, quam vitam relinquunt, vnaque cum ijs moriuntur. Ideò tantopere illis Hannibal fidebat; ideò Pompeius sui exercitus illos robur constiruebat; ideò Numidiæ Rex Iuba & Octavius Augustus ad suorum corporum custodiam adhibebant. Quanta est erga Deum Hispanorum fides, tanta profecto est erga Reges ac Duces. Queritis quis sermo sit noster? De officio Militum ac Ducum, de obsequio, de honore, de virtute, de armorum gloria, de victorijs ac triumphis. Queritis quantum sit ac quam promptum obsequium? Nemo nostrum, quanquam nobilissimus, minimi etiam imperium detrectat. Et cum in remotissimas alioque sole calentes Regiones à Regibus nostris ad oppugnandos Barbaros quotidie mittamur, ita prompti, ita obsequentes, ita alacres abimus, vt sine sanguine pul-

puluereque rem domi non foris gesturi videamur. Atque hæc cum in nobis Hispanis sint virtutes, tum felicitas quædam incredibilis, & suauissimus Fortunæ fauor comitatur. Ipsa Terra, ipse Oceanus, ipsum etiam nobis cœlum famulari videtur. Nec nos sequitur tantum fortuna, sed vota nostra præcedit, supra vota nostra volirat, & plusquam velimus liberaliter elargitur. Dicam sine fastu, quod sine admiratione audire Orbis non potest. Nullius vnquam ætatis, sæculi, Nationis imperium ita excreuit, cuius felicitatem Hispanorum virtus ac fortuna non antecellat. Enimuerò Duces aliquos nostros inprimis, tum milites videte, vt quâti, qualesque simus Hispani cognoscatis. Non fabulosos hic Annales euoluo, sed nostræ memoriam ætatis excutio. Hispanorum Dux fuit Gonzalus Ferdinandus Aquilarius, Dignus, quantus Vir! Neapolitanum Franciscus regnum eripuit, & ab hoste Ludouico duodecimo torquem auream accepit. Hispanorum Dux fuit Ferdinandus Aluarez Dux Albanus. O noster ille Cæsar! Ab eo territa Gallia est, defensa Hungaria, pacata Germania, victa Africa, concussum Belgium, castigata Hispania, superata Lusitania, & illa mundi Domina Roma, cum capere eam posset ac nollet, contempta. Hispanorum Dux fuit Petrus Enriquez Comes Fontanus, qui in medio



18 CERTAMEN NATIONVM  
medio belli duplicis ardore oppida inuicta  
vicit. Hispanorum Duces fuerunt Christo-  
phorus Mondragonius, & Aluarus Sandæus:  
illius ferre præsentiam nunquam hostes po-  
tuerunt; huius memoriam etiamnum hodie  
immaniſſimi Turcæ venerantur. Noſter fuit  
Antonius Leua Conſilio Marteque inſupe-  
rabilis. Noſter eſt Illuſtriſſimus Ludovicus  
Velaſcius, Equitum Magiſter, cuius genero-  
ſitas omnem hoſtilium armorum vim aſper-  
natur, & dum metum excludit, vinci nequit.  
Tantum eſt eius nomen, tanta virtus in ar-  
mis. Noſter fuit Ferdinandus Correſius, qui  
omnium poſt homines natos Imperatorum  
gloriam ſuperavit. Noſter fuit Franciſcus  
Almeida, qui Campſonis AEGYPTIJ Sultani  
claſſem proſſiganit. Noſter fuit Alphonſus  
Albuquerqueius, qui Goam, Malacam, Cale-  
cutum occupauit, Turcas toties & Sarace-  
nos non minus glorioſè, quam feliciter fu-  
dit. Noſtri fuerunt Suarij, Sequeræ, Menefij,  
Gamæ, Sampafij, Cugnæ, Norognæ, ſexcenti  
alij, Hercules omnes, omnes Hectores, om-  
nes Achilles, Bellorum nuper fulmina, nunc  
gloriæ æternum victuræ miracula. Et tu no-  
ſter es, ô victorioſiſſime Conſalues de Cor-  
dua, cuius gladium nunquam hoſtis vidit,  
quin ſanguinè & vitâ amiſerit; cuius manu  
tot illi fruſtra ſuſcepti ab Exrege illo Fre-  
derico Palatino & Mansfeldio conatus re-  
primu-

D  
primu  
ferur  
Milite  
Hiſpani  
tanta  
ci vix  
cõtra  
Vos Ger  
nos admi  
bus eruiſ  
pecuni  
rentes, nat  
nes abſec  
ſis irriter  
ei nunqu  
laudatis, q  
eibus ab  
tatem vice  
victorem  
norum qu  
ſiã Man  
bus omni  
rum octo  
ſis octing  
quod ran  
geri he  
dines fug  
tur, aur  
Quid qu  
vicitant

DE BELLI GLORIA. 197

primuntur, Cæsarea Regiaq; authoritas as-  
feritur, diuina vindicta propagatur. Sed ad  
Milites nostros veniamus. Profecto quot  
Hispani sunt Milites, torefse Duces deberet:  
tanta virtus est eorū, tanta fortitudo, vt vin-  
ci vix vnquam possint, vincere semper, etiā  
cōtra spem omnium & opinionem soleant.  
Vos Germani, nunquid illos adhuc Hispanos  
admiramini, qui Bello Saxonico vesti-  
bus exitis per medios tormētorum ac selo-  
porum ictus, glādios ore tranfuerfos defe-  
rentes, natando errantes in Albi flumine na-  
ues assecuti triginta quinque ex hostibus ce-  
fis in ceteriore ripam adduxerunt? Vos Fran-  
ci nunquid illos adhuc bis mille Hispanos  
laudatis, qui ex clade Ratēnatenfi iustis or-  
dinibus abeuntes insequētem hostium equi-  
tatum vicerunt, & ipsum Gassonem Foxium  
victorem interfecerunt? Quid quod Hispano-  
rum quatuor millia Sandæo Duce ab ho-  
stiū Maurorum viginti millibus sexies viri-  
bus omnibus petita mediā in Barbaria suo-  
rum octoginta duntaxat amissis, hostiū ca-  
sis octingētis victoriā reportauerunt? Quid  
quod paucissimi Horucciū Barbarussam Al-  
gerij Regem per medias Mauritanix solitu-  
dines fugientem, ac frustra, vt remoraretur,  
aurum spargentem fortiter occiderunt?  
Quid quod Lusitaniam bucellato tantum?  
vicitantes, nulla vrbium prædā concessa  
quiu-



20 CERTAMEN NATIONVM  
quinquaginta dierum interuallo subege-  
runt. Nec immerito ingeminabant ipsi, eo  
se modo Lusitaniam cœpisse, quo cœlum ac-  
quiritur, aquam bibendo, panem comeden-  
do, ab alienis rebus abstinendo. Obstupesce-  
te sanè, & quæ dicam audite. Sub Francisco  
Pizarro quadraginta quinque Equites, & Pe-  
dites viginti quinque Hispani, quadraginta  
Barbarorum armatorum millia proffigave-  
runt. Hic Hispanus vnus aduersus quadrin-  
gentos ac plures pugnabat. Sub Ferdinando  
Cortefio quingenti Pedites & Equites quin-  
decim Hispani, contra Barbarorum millia  
centum quinquaginta victores nullis suo-  
rû amissis extiterunt. Hic vnus manus ad-  
uersus quingentos dimicabat. Sub Odoardo  
Pacieco septuaginta duntaxat Lusitani quin-  
quaginta septem millia Arabum Indorum-  
que fuderunt. Sub Almeida nouêdecim Hi-  
spanorum naues, hostiles centum omni ar-  
morum militumque genere instructissimas  
superauerunt. Sub Ferdinando Gundisalu-  
treçeti duntaxat Hispani Almanfarem Afri-  
cæ Regem & sexaginta cum eo armatorum  
millia deleuerunt. Froila cum parua manu  
Saracenorû millia quatuor & quinquagin-  
ta: Alphonfus Castus septuaginta, Ranimi-  
rus octoginta prostrauerunt. Et verò, (ob-  
stupesce posteritas) cum paucissimis ac nul-  
lis fere copijs, Mahumetanorum ducenta mil-

millia  
que tunc  
rum virtut  
Nos Africa  
frano tene  
perio prem  
Americam  
gum mifim  
fab Sole pe  
magis Bar  
luma no  
noue exite  
adeo infra  
stra Hispa  
cant & ad  
uersi mun  
fortissimo  
mos esse H  
minari poi  
Prodiga  
m  
Namq  
Imp at  
Et fa  
Cedite i  
ctores, m  
nos Hisp

millia Rex Alphonfus cecidit, viginti quinque tantum è suis desiderauit. Ita Hispanorum vbique conatus victoria coronat & eorum virtus vbique de Fortuna triumphat. Nos Africæ compedes iniecimus, nos Asiam fræno tenemus, nos Europã ferè totam imperio premimus; nos Indias vtrasque, nos Americam & innumeros in ea Reges sub iugum misimus; nos Antipodibus alio penè sub Sole positis, & hominibus ipsa Barbaria magis Barbaris ius dicimus. Nos Orbem ælium à nobis inuentum gubernamus, & si noui existant Anaxagoræ, qui nouos atque adèò infinitos cõstituant mundos, dabit nostra Hispania nonos Alexandros, qui vincant & administrant. Adeò iam illud in vniuersi mundi confessione positum est, omnium fortissimos, bellicosissimos, victoriosissimos esse Hispanos, quibus nec fortuna dominari possit, nec mors. Quippe,

*Prodiga gens animi, & properare facillima mortem,*

*Namque vbi transcendit florentes viribus annos*

*Impatiens cui spernit nouisse senectam,*

*Et fati modus in dextra est.*

Cedite igitur, cæteri Populi, & Fortunæ victores, mortis contemptores, Rerum Dominos Hispanos agnoscite.

DIXI.

ORA-



## GERMANI MILITIS.

**N**Vnquam sanè virtute vllâ reliquis  
cedere Nationibus Germanorum  
fuit. Quicquid virtutis est, quicquid  
virilitatis animo & ipso nomine induimus.  
Germani sumus, hoc est Bellaces viri: Ale-  
manni sumus, hoc est toti viri. Et erunt ali-  
qui, de fortitudinis Bellicæ Gloria contem-  
dere cû Germanis audebunt? Nihil Herculi  
cum Iaruis, nihil Leonibus cum formicis.  
Date Alexandros, date Pyrrhos, date Augu-  
stos, Murium ac ranarum sunt eorum res ge-  
stæ toties inflatis buccis decâtatæ, si cum no-  
stris bellis comparêtur. Tantas res gessimus,  
quantas audere vix hominum est, perficere  
nullorum, nisi Germanorum fuit. Non no-  
strum equidem est in maioribus nostris glo-  
riari, maiores enim nostros virtutibus adæ-  
quamus, & generosi, nunquamq; degeneres  
posterius noua gloria partam ab illis gloriam  
augemus. Quod si tamen eorum vel repetita  
tantum mentio silentium cæteris imponere  
possit nationibus, aliquam sanè paruum que  
faciamus. Quinã igitur erant prisca illi Ger-  
mani? Illi apud quos, Tacito teste, scutū reli-  
quisse, flagitium erat enorme; quorum Prin-  
cipi virtute à quoquam vinci turpe; quorum  
populo virtutem Principis nō adæquare tur-  
pissi-

pissimum: infame verò in omnem vitam ac  
 probrosum superstitem Principi suo ex acie  
 recessisse: illum defendere, tueri, sua quoque  
 fortia facta glorię eius assignare, præcipuum  
 erat Sacramētum. Sed iterum. Quinā igitur  
 ac quanti maiores illi nostri vixerunt? Qui  
 Gallis terribiles essent, Romanis formida-  
 biles. Tanti verò, vt cum de transmittendo  
 Rheno cogitarent, atque in Gallijs lamen-  
 tabili voce ingeminaretur, Adfunt, Adfunt  
 Germani, confestim ibi omnes trepidantes  
 fugam arriperent, in speluncas cōfugerent,  
 atq; ibi delitescerent multis lachrymis im-  
 pendens sibi fatum deprecarentur. Atque  
 idē prouoluti aliquando ad Cæsaris pedes  
 Galli multo fletu, vt se cōtra Germanos tue-  
 ri vellet, efflagitauerunt. Tanti, inquam, vt  
 Romani ne vultum quidem Germanorum  
 intueri, nec oculorum aciem ferre possent.  
 Si quandoq; vel solum nomen audirent, toti  
 timore quodam exhausti mulierum instar  
 lachrymabantur, discedendi veniam à Du-  
 cibus suis postulabant, aut si pugnandum ta-  
 men esset, in tabernaculis suis abditi primo  
 fatum suum querebantur, tum quia è pugna  
 redeundi nulla spes erat, totis castris testa-  
 menta condebant & obsignabant. Nolo hic  
 Antiquitatum vltimarum Reges aduocare,  
 Tuisconem, Mannū, Ingeuonem, Heimionē,  
 Istæuonem, Sueuum, Marsum, Vandalum,  
 Gam-



Gambrinium: de tota ipsa Gente nostra lo-  
 quor. Inuicti erant olim Germani, incredi-  
 bili virtute atque armorum exercitatione  
 robustissimi, ac tales, qui intra annos qua-  
 tuordecim nullū omninò rectū subirēt.  
 Tales, inquā, vt nemo se olim cū Germanis  
 virtute compararet: nemo in terris esset,  
 quem superare illi non possent: imò verò  
 (iudicium Antiquitatis audite) ne Dij qui-  
 dem immortales Sueuis nostris pares essent.  
 Fuerunt è Germania nostra Normanni illi  
 bellicosissimi, non obsequijs, sed armis sem-  
 per magni, qui tam latè nominis sui terro-  
 rem omnibus penè populis impresserunt, vt  
 ad eorum vim auertendam Ecclesia supplica-  
 tionibus indictis Deū deprecaretur. Pro-  
 dierunt è nobis Gothi Vandaliq̄ue, & qui-  
 cunque vnquam bellis formidolosi extite-  
 runt, vel Germani fuerunt, vel à Germanis  
 oriundi. Illi sunt, qui Iulio Cæsari in Cam-  
 pis Pharsalicis victoriam pepererunt. Illi  
 sunt, qui Quintilium Varum, & cum eo le-  
 giones media in Germania tā gloriôsè pro-  
 fligarunt, vt vota pro meliori imperij statu  
 ab Augusto Romæ nuncuparentur. Illi sunt,  
 qui à Romanis mundi victoribus vinci nun-  
 quam potuerunt, victores eos cæterorum  
 semper vicerunt, eorumq̄ue luxuriantē ple-  
 rumq; & superbiæ pennis altius euolantem  
 fortunam cohibuerunt. Dicam cum Poëta,  
 illi sunt,

illi

*Illi terribiles, quibus otia vendere semper  
Mos erat, & requiem, & sædus mercede  
pacisci,*

Quibus, inquam, ignavia inertiaque datur sudore id acquirere velle, quod effuso sanguine poterat gloriosius comparari. Et vero ut non maioribus duntaxat nostris, sed etiam nobis militare deberi lauream manifestemus, an non natura ipsa bellicosi sumus Germani, & ad arma capeſſenda tractandaque comprimis idonei? Eximia nobis sunt proceraque corpora, oculi minaces, truces vultus, aspera vox fractumque ad terrorem concitandum murmur. Vis ipsa mentiū nostrarum excelsa, & ad æternos labores robusta; adeò nihil est tam arduum, tam durum, quod pertinacem Germanorum patientiam fatiget. Quæcunque in nobis virtutes sunt, viriles sunt & Germanæ. Ignota nobis est perfidia, etsi venali fortitudine stipendia quandoque sub externis mereamur, validum est & vegetum ingenium, sed fraudis nesciū, quippe decipere sincera Germanorum simplicitas ignorat. Ut candidi animi sunt, ita virtutes, ita facta; nec alienam gloriam maligno liore delibamus, sed veris sincerisq; præconijs extollimus. Audiant ætates me omnes & Nationes, Quicumque Germani nascimur, Milites nascimur & bellicosi, quorum in lacertis robur est, in pectoribus

B

fortitu-



fortitudo, in manibus pugna, in gladijs victoria. Imperterriti ad arma sumus, & cum pugnandum est prima in acie collocamur, cū subsistendum ad machinas, quas nemo prius eripiet nobis, quam super eas lacertos amputabit. Aut hostem innadere, aut hostilem impetum sustinere, infringereque eiusdem est Germanorū virtutis: vallum autem transcendere, fossas superare, in muros insilire summam sempiternæ gloriæ ducimus occasionem. Si quis se, si quis suos malè forsan mulctari desiderat, pugnet, vetus, inquit, Prouerbiū, cum Germanis. Quamobrem verò? Quoniam nemo vnquam Germanorum gladios irritauit, qui non eosdem suo sanguine purpurarit. Nec Ducibus vnquam præstâtissimis, nec Militibus fortissimis destituta vnquam Germania fuit. Glorietur superba illa Græcia in Miltiade, Themistocle, Aristide, Alcibiade, Thrasibulo, dedimus maiores illis Ottones, Carolos, Henricos, Harminios, atatum omnium quædam prodigia, Superbiant ambitiosissimi Romani in Scipionibus suis, in Pompeis, in Cæsaribus; nos Donrados illis & Fridericos opponimus, quorum gladios nunquam illi intueri potuissent. An non ipse de Germanis testatus est Põpeius, Solos illos fide & armis Gentibus omnibus præstare? An nõ Claudius quoque Imperator nullos mortalium ante Ger-

Germanos fide aut armis reperiri probauit? Quippe vna est Germanorum dextera fidei sedes & instrumētum victoriarum. Quippe soli sunt Germani, qui dolum & astutiā execrantur, frontem ac mentē gerunt apertam: deliberant dū fingere nesciunt, constituunt, dum errare nō possunt. Existat hic VVilhelmus ille Senior Dux Lunæburgensis. Dij Boni! Quam illustris Heros? Nunquam ex prælio nisi parta victoria recessit, & septem victorijs splendidissimis nobilitatus victoriosi cognomē reportauit. Existat ex Brunsvicēsi Familia Senior Dux Ericus. O Illustrissimum Germaniæ decus! Decies collatis signis in acie stetit, confixit, vicit. Plusquam vigesies pinnacula murosq̄ue hostium ipse cōscendit, inuasit, superauit. Bauarica in pugna Imperatorem Maximilianum claua ferrea grauius percussum, & iam succumbentem sua manu erexit, seruaui, suis restituit, ipse lethale pro illo vulnus reportauit. Existat hic Henricus Quartus Imperator, ille Maiestatis Imperij acerrimus sanē vindex. O quis illi vnquam ex omni Antiquitate par esse possit! Bis & sexages acie dimicauit, sepius victor, nunquā alias asperrimis bellorum & hostium difficultatibus animum despondit. Deficere hic apud vos profecto si plures alios è Germania nostra Duces, Othones, Ludouicos, VVolfgangos, Fredericos,



## 28 CERTAMEN NATIONVM

Albertos, Maximilianos, alios innumeros commemorarem. Illi inter homines nō tam homines extiterunt, quam diuini quidem Heroēs, qui ante mortem fato æternitatis confessionem eripuerunt, & à quibus Virtus Fortunaque nominis ac Fama æternitatem accepisse videntur. Vna velut in Tabula Germanorum Ducum ac Militum, obsecro vos, fortitudinem videte. Obsederat elapso sæculo Solymannus Austria Viennam nondum propugnaculis, vt hodie, munitā. Trecenta hominum millia aqua, terraque urbem cingebant, interclusa omni ex parte erant itinera, in vrbe verò sedecim duntaxat Germanorum millia Philippo Palatino ac Nicolao Comite Salmio Ducibus, qui immanem illam ac Barbaricam molē exciperent. At quis exitus tandem? Turcæ vigefies summa vi muros vrbis sunt aggressi, sed & vigefies à muris ita generosè reiecti, vt de fuga summo nominis Othomannici dedecore cogitare, urbē amplius tentare non ausi, aut Germanorum vires experiri, debuerint. Tales ac tanti sunt Germani, vt eorum millia sexdecim, immanissimorum Turcarum trecenta millia profligent, & in fugam turpissimam cōuertant. Verè verè dicere aliquando potuisti, ò Imperatorum Maxime Carole Quinte, id esse Germanos in exercitu, quod pectus est in corpore humano. Vt enim ab  
hoc

hoc vis est omnis & vita, ita ab illis omne  
 robur, & victoria. Verè tu etiam Rudolphe,  
 etsi magna fiducia, dixisti, te qualibet in mû-  
 di parte cum Equitum Germanorû quatuor  
 millibus, & Peditum quadraginta stare in-  
 uictum posse. Verè tu quoque Stephane Se-  
 cunde Ingolstadiensis, nullum esse Bau-  
 rum, sed ego addo, nullum esse Germanum  
 militem assueruisti, in cuius sinu solus &  
 inermis dormiret tuto non posses. Nimi-  
 rum ita iuicti sunt Germani, vt in eo-  
 rum sit manu cæterorum salus & tutela. Et  
 quemadmodum reliquæ omnes ab ijs Natio-  
 nes Nobilitatem acceperunt, ita Virtutem,  
 vt quicquid præclarè gerunt, debeant acce-  
 ptum Germanis. Nullæ sine ejs sunt expedi-  
 tiones; nulla sine exercitu Germanico bel-  
 la, quod intelligant Principes omnes & Re-  
 ges, vix sine Germanis victoriam ullam esse  
 posse, qui de omnibus ferè Nationibus victo-  
 riam aliquâ reportauerunt. Ita placet ordo,  
 quem nunquam deserunt, placet incessus,  
 qui grauis est & firmus; placet constantia,  
 quæ nullius audaciæ vi labefactatur; placent  
 Germani pedites, & illi Sueui, VVestphali,  
 Tyrolenses: placent Germani Equites, & il-  
 li Brunsvvicenses, Cliuenses, Franconien-  
 ses. Quorum omnium si quis fortitudinem  
 nondum adhuc satis exploratam habet re-  
 cordetur, quod cum anno supra millesimû



quingentesimo Potētissimus Moscouiæ Dux  
 in Liuoniam cum Moschouitarum centum,  
 & Tartarorum triginta millibus irruisset, ei  
 Bellicosissimus ille VValtherus à Pettēbur-  
 go Summus Theutonicorum Magister obuiā  
 prodierit, qui cum sub signis septem tantum  
 Germanorum millia, & quinque Liuonico-  
 rum haberet, centū hostium millia vna acie  
 prostrauit, & vno suorum amisso inuidentā  
 omni antiquitati victoriam est consecutus.  
 Non possum immortalia Germanorum faci-  
 nora his angustijs breuissimi temporis com-  
 plecti; gaudeo verò, ac mihi gratulor quod  
 Germanus sim eiusque gentis, quæ quemad-  
 modum Imperij Aquilam & supremę in ter-  
 ris Maiestatis fastigiū habet, ita bellicę lau-  
 dis, & militaris fortitudinis lauream possi-  
 det. Cedite igitur, Populi omnes, maioribus  
 vestris ac Parentibus Germanis. DIXIT.

## ORATIO III.

## FRANCI MILITIS.

**Q**uod si hodierna die ita Fato quodam  
 eueniret, vt veteres illi Romani Re-  
 rum quondam Domini militarem  
 lauream bellicosissimæ Nationi consignare  
 deberent; dubium profecto nō est, quin eam  
 eorum iudicio tāquam omnium populorum  
 fortissimi victoriosissimiq; Franci reporta-  
 rent. Nam cū illi de Gloria cum Nationibus  
 cæteris non raro dimicarent, tum cum Fran-

cis.

cis de salute certabant. Nimirum belli gloria Gallos ante Romanos esse, ne ipsi quidē Romani dubitabant; suā verò ab eorum armis salutem vindicare, hoc opus, hic labor erat. Atque idcirco cum exorta aliqua belli Gallici tempestas erat, nulla conditio vel ætas ab armis excusabatur, ipsique sexagenarij, de pontanisque Senes, & Sacerdotes in militiam conscribebantur. Vique adeo Romanis terribiles erant Gallię nostræ Populi. Illi, inquā, illi fortissimi Populi, qui Romam aliquando Brenno Duce suis in cineribus sepeliuerunt; qui Græciam & Asiam summa virtute peruaserunt; à quibus olim Reges, etiam non lacessiti, ingenti pecunia pacem emebant; suis autem Regnis exuti pro restitutione ad eos confugiebant. Quasi tuta esse Maiestas, vel amissa recuperari sine Gallica virtute non posset. Ita omni ætate pugnauerunt vt fortissimi, vicerunt vt fortunatissimi, bellicę laudis fama supra omnes claruerunt, vt illustissimi. Quorum fortitudinē si testari vobis ex veteris memoriæ Annalibus vellem, producerē priscos illos Celtas, qui collabentibus ædificijs sese opponebant, Oceanum inundātem sustinebant, fluctuū impetus protensis gladijs & hastis excipiebant. Sed istam summam amentiam ac temeritatē non admiror. Producerem generosos illos Gallos, ex quibus cum aliquando Alexander



der Magnus quæsiuisset, Quidnam tandem in rebus humanis præ cæteris extimesceret, vnum hoc, inquit, ne cælum fortassis in nos ruat. Aded non illam Alexandri magnitudinem formidabant. Sed ista nimis etiam antiquarelinquo. Prodeant potius Orgentorix, Diuitiacus, Vercingentorix, qui suis gladijs Cæsaris animum & arma hebetaerunt. Prodeant Bréni, quorum vnus Romam expugnauit, alter Europam Asiamque perterrefecit. Prodeat Bayardus, ille Hostium omnium terror, qui non aliter quam conuersa ad hostem facie mori desiderauit. Prodeat Bertrádus Guesquinas, qui Petrum Castellæ non Regem sed tyrannum regno priuauit. Prodeat Pipinus, qui Italia Longobardos eiecit. Adsit etiam Gasto Foxius, qui campos Rauennatium tam insigni victoria nobilitauit, & victoriæ trophæum fatali sanguine suo irrigauit. Adsit Blasius Monlucius, cuius Gloriæ tantum inuidere fortuna non potuit, vt vel semel vinceretur. Adsit Mathurinus Scutus Romegasius, cuius nomen ac dexteram ita vniuersus aliquando Oriens exhorruit, vt hoc etiã tempore proterriculamento suis infantibus matres eius nomen inclament. Nihil interim dico de Paulo Thermo, cuius in armis prudentia miraculo fuit; nihil de Ossunio, cuius pugnacitas nunquam est fátigata; nihil de Ca-

rolo Cossæo Brissaco, cuius felicitas omniū  
 prudentiam superauit. Hi omnes è Francia  
 nostra ita Dūces extiterunt, vt sua fortitu-  
 dine facile Orbi vniuerso-bellicosissimos  
 omnium esse Francos probarent. Quanam  
 ætas autem non dico superiorem, sed parem  
 Carolo Martello vnquam protulit, qui anno  
 supra septingentesimum trigesimo trecenta  
 & octoginta Sarracenorum millia vna acie  
 deleuit, mille tantum è suis & quingentos,  
 hoc est pro ducentis ac triginta hostibus v-  
 num amisit? In hoc vno gloriari profecto  
 Frāci possemus, nisi tot eiusmodi fuissent &  
 essēt adhuc apud nos victoriosissimi Heroēs  
 quot optare, nedum sperare cæteræ nationes  
 auderent. Quanta & quam admiranda bel-  
 lorum fulmina, Clodouei, Dagoberti, Phi-  
 lippi Augusti, Roberti, Henrici secundi?  
 Quam Illustre Franciæ nostræ Decus Caro-  
 lus Magnus, cui Antiquitas parem dare non  
 potest, posteritas nunquam inueniet supe-  
 riorem! Enimuero non ea tantum est virtus  
 Ducum, etiam eximia militū est virtus. Tes-  
 tis est Italię fulmen Hannibal, cuius omnes  
 fere victoriæ Gallorum virtute sunt partæ.  
 Illi ad Trebiam, ad Trasimenum, ad Cannas  
 spectantibus Carthaginensibus vicerunt. Tes-  
 tes sunt fortissimi illi triginta Galli, qui  
 Manrorum Equitum millia duo Africano  
 bello loco suo pepulerunt, inque oppidum



summa cum laude sua coëgerunt. Testes sunt illi, qui in Aluarici oppugnatione tam gloriosam mortem obierunt. Stabat ante vrbs portam vnus inq; ignem è regione turris seu ac picis glebas proiebat, sed mox scorpione ab latere dextro traiecitur. Vix conciderat, ex proximis vnus succedit, occiditur; occisi in locum tertius adest, tertium subito quoque deiectum quartus subsequitur; nec prius vacuus à propugnatoribus relictus est locus, quam submotis omni parte hostibus finis est tandem pugnandi factus. Adeo nec Scæuolę, nec Curtij, nec Horatij Francię nostrę vnquam defuerunt. Vincere aut mori eademum est Francorum Gloria. Nec ætatem excusamus, nec accusamus: semper Franci floremus, & in aeterno fumus robore seu iuuenes, seu senes. Etiam in senibus iuuentutis est robur, & extremam ætatem viuida virtus in quandam commutat iuuentutem. Nec ille profecto dixit male, qui Francum virtutem Heroicę animatam appellauit. Quis in orbetoto angulus est, in quo non Francorum aliqua sit laurus? quę Regio, in qua nõ trophæum? quę Prouincia, in qua nõ triumphus? Totum orbẽ nostra sumus virtute complexi, & terram vniuersam victorioso semper pede tanquam nostrę subiectũ virtuti theatrum perambulauimus. Ignea mens Francis est, & in vniuersum omnes armis insueuimus. Si tu-  
barum

De  
varum cl  
mudi si h  
clanores to  
re locum a  
machinarum  
fientes læt  
balz, sclopi

In pugnam  
da

Cayre,  
e

Puluer  
Hic vnu

Ex vero cu  
tum Eques  
perfidia,  
non Par  
ret, coer  
equitatu  
Quintus  
li Ducu  
sum illu  
virtute  
fisione  
iacabat,  
sumus Ga

barum clangores exaudiantur stamus impa-  
uidi; si hostium pereuntium ac perdentium  
clamores tollantur, stamus imperterriti; si  
telorum ac gladiatorum fragores, si terrifici  
machinarum ignitarum boatus tonent, ge-  
stientes latitiâ exultamus. Loricæ, gladij,  
hastæ, sclopi, delitiæ sunt nobis.

--- Pro Regibus ire

*In pugnam, & gladios, & morti occumbere  
dulce est,*

--- Sub Dio ad sydera somnum:

*Carpere, fuscari sole & ferrugine pulchrum  
est:*

*Pulvere cōspergi, & auihus sudare sub armis  
Hoc vnum est Francis votum.*

Et verò cum Gens nostra armis sit strenua,  
tum Equestri certamine optima est, ignara  
perfidia, & indomita intra se virtutis. An  
non Parthi cum eos Antonius bello laceffe-  
ret, coerceri frangiue aliter, quam nostro  
equitatu, non potuerunt? An non Carolus  
Quintus omnia qui extiterunt in quâ Bel-  
li Ducum maximus ac fortunatissimus cur-  
sum illum victoriarum suarum Francorum  
virtute sisti tum animaduertit, cum in ob-  
sidione Metensi, qui antea, PLVSVLTRA,  
iactabat, metas inuenit? Hic ille bellicosus  
simus Guyssius noster tanto Imperatori satis

B. 6. decla-



declarauit, plus paucorum Francorum fortitudinem posse, quam vniuersam Germanie potentiam. An non Turcarum immanissimorum Imperator tantopere Francorum nostrorum vires ac virtutem extimescit, vt aliquando per legatos & litteras suas officiorum ac benevolentie plenissimas à Rege nostro Christianissimo postularit, vt Francos grauissimo edicto suo ab Hungarica militia in Franciam reuocaret? Nimirum nihil poterant eius vires, vbi Francorum vires resistebant. Nimirum iam Mercurij Ducis, cuius armis Regalis Alba cessit, virtutem inuictam perhorruerant: iam Vaubecourij Baronis & inelyti Ducis potentem dexteram, quam amisso Iauarino senserunt, nimium extimuerant. An non ij sunt Franci, qui susceptis tot in Terram Sanctam Expeditionibus Barbarorum multoties effrenatam audaciam refrænarunt, & insultantem Christianis eorum fortunam fregerunt? qui media in Asia victoriarum suarum trophæa fixerunt? qui Ecclesiæ Dignitatem aduersus Barbaros propugnarunt, & eius imperij fines superstitione deleta protulerunt? Dicat hic magnus ille, & D. Gregorius, Quinam sunt Francorum Reges? Reges, inquit, Francorum sunt, qui se semper pro populo Christiano tâquam murum inexpugnabilem opposuerunt. Dicat Honorius tertius Pontifex,

De  
 fecerunt de  
 gem. inquit  
 Clodius fuit c  
 gine electas  
 & respicij  
 emitt. Dica  
 quare ac qua  
 militares Eg  
 cellis, quot  
 abesse, quæ  
 propugnans  
 nam tibi du  
 tingis, cum  
 nisi primâ  
 Atque hoc  
 ces frequer  
 gnara viri  
 se terrarum  
 rouus A  
 Gothos,  
 rem Hifi  
 rolus e  
 Italian  
 Ludovic  
 mense f  
 cus pri  
 gnâ He  
 domito  
 magna  
 uinciam

Rex, imò de toto regno nostro loquatur. Regum, inquit Franciæ est quasi pharetra, quæ Christus sibi circa femur accinxit, ex qua sagittas electas extragens, ipsas, ut sibi gentes & regna subijciat, in arcu brachij potentis emittit. Dicat verò Carolus V. Imperator, quanti ac quales sunt viri omnes in Francia militares? Ego, inquit, cum aliquando à Tiercellino, quot diebus Pedemontium Parisijs abesset, quæsiuissem, Si dies, inquit, singulos pro pugnis accipis, duodecim omnino sunt, nam tibi duodecies, priusquam Parisios attingas, cum exercitu nouo pugnandum erit, nisi primâ fortasse pugna statim occumbas. Atque hoc est quod dicere Laurentius Medicus frequenter solebat, Galliam, si suarum signata virium, totû in angustias cogere posse terrarum orbem. Compescuit noster Merouæus Attilam: Vicit noster Clodouæus Gothos; subegit noster Childebertus maiorem Hispaniæ partem; subiecit sibi noster Carolus octauus non totis quinque mensibus Italiam: rededit sub Imperium suum noster Ludouicus duodecimus totam non integro mense Lombardiam: deuicit noster Franciscus primus memorabili ad Melenianum pugna Helueticos: domuit noster Clotarius indomitos antea Saxones. Carolum nostrum magnum Scotiæ, Gallitiæ, aliarumque prouinciarum Reges tanquam subditi coluerunt.



38 CERTAMEN NATIONVM  
runt. Verbo dicam, Franci vicimus Orbem.  
Dicat nunc Guilielmus Brussus in Hispania  
se Præsules vidisse, in Polonia Nobiles, in  
Anglia Agricolas, in Germania principes, in  
Italia Palatia & Antiquitatum monumenta,  
in Francia Milites. Vere enim, vere in Fran-  
cia Milites sunt, sed quibus aliarum natio-  
num Belli Duces non sane palmam eripiant.  
Verum vt inter tot militaris gloriæ nostræ  
monumenta aliquando conquiescam, vobis  
quotquot hic estis certantes populi vnum  
oppono Henricum quartum, & eius meritis  
supremam pro Francis lauream depono. Il-  
le è tribus iustissimis prælijs, è quinque &  
triginta armatis congressibus, è quadraginta  
supra centum prælijs regia pugnatis manu,  
è trecentis locorum oppugnationibus totus  
semper laureatus discessit. Date superio-  
rem, imò date pacem aut Gloriæ bellicæ fas-  
ces Ducibus Militibusque Francis submit-  
tite. DIXI.

#### ORATIO IV.

##### ITALI MILITIS.

**C**redideram profecto iam olim satis  
Romam docuisse nihil Italis esse bel-  
licosius, quorum virtus non alios po-  
tentia suæ terminos, quam Orientem Occi-  
dentemque constituit, & qui omnem Asiae,  
Africae, Europaeque florem suo Imperio com-  
plexi

plexi terrarum Orbi frenum iniecerunt. Nihil olim notius orbe toto, quam Italicorum armorum magnitudo, cui vos Hispani aliquando cessistis, quam vos Germani horruistis, qua vos Galli fracti estis, ceteræ concussa subjugatæq; Nationes. Tercenties & duodecies in principe vrbe nostrâ de diuersis mundi prouincijs triumphauimus. Trecentis hominum millionibus vno aliquando tempore vi armorum imperauimus: supra centum ac quinquaginta auri miliones in annuis redditibus eorundem armorum potentia nobis constituimus. Adeo vt vere fuerit olim.

*Terrarum Dea Gentiumque Roma*

*Cui par est nihil & nihil secundum. Quæ  
Nunquã succubuit damnis, & territ a nullo;  
Vulnere, post Cannas maior Trebiamq; fremebat.*

Libuit sane vobis maiorum vestrorum in armis Gloriam non sine iactatione commemorare: Quid verò si vobis Duces illos olim: nostros vel ab ipsis inferis excitarem? vnum: Marcellum igneo impetu bellantem; vnum: Papyrium Alexandro parem; vnum Pompeium sua magnitudine Orbe maiorem; vnum Cæsarem, supra omnes qui arma vquam tractarunt aut tractabunt fortunâ, bellandi peritiâ, animi magnitudine ac ce-

leri-



40 CERTAMEN NATIONVM  
leritate? Quid si innumeros alios produce-  
rem, quibus Pyrrhi, Hannibales, Mitrida-  
thes, & omnia populorum omnium arma  
cesserunt? Umbrae essent, Iaruae essent illi,  
quorum vos mentionem ipsi fecistis & mi-  
racula Gentium vestrarum appellatis. Quid  
si milites illos sisterem, quorum manibus Or-  
bem vicimus, in opere militari optimos, ad  
laborem tolerandum fortissimos, ad vallum  
& fossas ducendas, ad aggerem, testudines,  
turresque struendas peritissimos & exerci-  
tatissimos? Vel vnus Sicinius Dentatus ve-  
strorum omnium Militum gloriam supera-  
uit, qui centies & vicies in aciem descendit,  
sex & triginta spolia ex hostibus reportauit,  
octo ex prouocatione occidit, quinque &  
quadraginta vulnera pectore excepit, tergo  
nullum. Vel vnus Scæua nationum omnium  
aliarum milites infra suam gloriam posuit,  
qui cum Pompeiano Bello ad Dyrrachium  
Castello Præpositus esset, solus in porta cõ-  
sistens aduersus hostiles legiones & copias  
illud seruauit; quo tempore ei oculus est ef-  
fossus, humeri traiecti & femur, scutum cẽ-  
tum & triginta ictibus perforatum. Nun-  
quam in aere mori Romanis & Italis Mili-  
tibus contigit, quin omnium essent vulnera  
in pectore, enses in manibus, minæ in vultu-  
bus, ira in morte. Sed veterum temporum  
gloriam maioribus nostris relinquo, quorũ

vir-

virtutem cum adhuc animis complectamur, nihil sanè attinet gloriam ab alijs mutuari. Etiam nobis nostrę sunt in armis laudes, nec cedere Itali sciunt, qui semper superare noverunt. Carolus V. ille Imperatorum omnium Maximus, qui omnem Armorum gloriam sui nominis fama complexus est, dicere aliquando solebat, quod ad constituendum iusti exercitus corpus, caput ab Italis assumere oporteret. Vt nimirum indicares bellicosissimus Princeps tales Italos esse, qui non tantum milites esse fortissimi possunt, verum etiam populorum aliorum Ductes, ac tum demum de victoria bene sperandum, cum exercitus Dux est Italus. Et verò nunquid Itali sunt, qui diuina quadam iudicij bonitate, & operibus immortalibus virtutem militarem ad id culmen maiestatis euexerunt, vt ascendere altius nunquam possit? Illi sunt, qui acutissimo ingenio suo plurimas ingeniosissimasque sanè minutionum formas primi inuenerunt, & in artem postea redegerunt. Illi sunt, vt prudentium omnium bellatorum est opinio, qui offensionis in bello defensionisque rationes omnium optime rectissimeque pernouerunt. In assaultibus atque impressionibus palmam omnibus eripiunt; in omni discrimine animum impavidum, in omni negotio presentissimum habent. Innata illis quadam sagacitas est & solertia, vt



vt non tantum fortes sint acrobusti, verum etiam industrij, prudentes, callidi & astuti. Nec alij sunt vlli populi qui melius generosos equos domare, artificiosius erudire, accuratius ad decursiones, ad saltus volutares, ad rotationes glomeratis hinc inde circulis, ad numeros modosque motionum ac flexuum virgulæ duntaxat icu regere, quam Itali possint. Adeò illos ad militiam Natura quodammodo conformauit, quos industria vmbaticis in pace exercitijs ad Martium nobilissimi Spiritus decus præparat & accendit. Si numerare vellem eos Belli Duces, quos tempora nostra præseis Heroibus aut pares tulerunt, aut Superiores, daré profecto viros omni ætati inuidendos. Darem Sfortias, Braccios, Piccininos, Vrsinos, Vitellios, Baleonos. Darem Philippum Scholarium, qui Sarmatas & Turcas viginti prælijs superauit. Darem Castrucium Castracanem, qui ex milite Gregario Dux egregius factus pertinaci virtute, ac nunquã eius confilia falléte fortuna ad Principatum Lucensem contendit. Darem Marcum Antonium Columnam, qui contra Turcas ad Naupactû prælio magna victoriæ pars fuit. Darem Maconem Corregium, cuius virtuti si pares habuisset decies mille Pedites, & tria Strenuissimorum Equitû millia Bartholomæus Liuianus non dubitabat breuissimo tempore totum

totum orbem occupare. Darem fortissimum  
& audacissimum Alexandrum Spinolam, qui  
in expugnanda Africa Guleta primus om-  
nium contemptis ignitis picere finaque fla-  
grantibus iaculis, glandiumque plumbea-  
rum procellis, correptis murorum pinnis  
in arcem desilijt. Quo nomine priuatim pu-  
bliceque laudatus ab Imperatore Carolo  
Quinto muralem gratulantibus omnibus  
coronam accepit. Quoniam verò in Belgio  
hodie de Belli Gloria certamus, duo fulmi-  
na Belli, duo armorum miracula, duos Bel-  
gij Martes, sed ex Italia nostra oriundos, A-  
lexandrum Farnesium Parmæ Ducem, & Am-  
brosium Spinolam Venasri Marchionem om-  
nium ætatû Imperatoribus vestris oppo-  
no. Quantus ille Alexander noster? profecto  
non inferior Alexandro manno, qui rerum  
hic in Belgio Franciaque fortissimè gesta-  
rum laudibus totum orbem ad miraculum  
impleuit. In quo tatum iudicij ad exercitum  
regendum, tantum iustitiæ ad disciplinam  
conseruandam fuit, quantum in vilo vn-  
quam Imperatore; vt non immerito eum Fran-  
ciscus Lanonius omnium in orbe Christia-  
no Belli Ducum maximum ac primum ap-  
pelles, qui & acie vincere fortissimus Impe-  
rator, & vrbes capere dexterrimus Expu-  
gnator omnium optimè nouisset. Cuius ani-  
mi vim incredibilem Henricus Quartus  
Fran-



Franciæ Rex factus est inuictam; cuius manum Bironius victus exhorruit; cuius fortitudini Bruxella, Traiectum, Antuerpia, Gadauun, Dunkerca, Brugæ, Ipræ, Teneramonda, & aliæ plures in Belgio fortissimæ Cinitates cesserunt, perque eum ad Regem ac Religionem redierunt. Qui ferè nihil propugnauit, quod nõ defenderit; nihil ferè oppugnauit, quod non ceperit; nullã inijt pugna, ex qua victor non discesserit. Aded vt ipse forma quædam & imago extiterit perfectissimi Imperatoris, ipforũ etiam hostiũ confessione amandus & admirandus. Quantus ille vèro etiam Spinosa noster, cuius nominis ea claritas est, vt pauci cum eo Gentium aliarum Imperatores comparandi videãtur? In quo vis animi incredibilis, patiẽtia laborum indefessa, fortitudo excellens, constantia inuicta, consilium par animi magnitudini, solertia & calliditas tanta, quantam vix Principis cuiusuis capere peccus potest. Et cum tria sint, post pecuniam Belli neruum, certissima victoriarum instrumenta, fides, taciturnitas, celeritas, tũ hæc in eo sunt admiranda, vt Regi propter fidem sit gratissimus, hosti propter taciturnitatem vbiq; formidandus, omnibus propter celeritatem admirandus. Qui nihil vnquam aggressus est, quod non sit cõsecutus, qui nullam vnquam expeditionem suscepit, à qua non superior redie-

redierit. Adeò ubi pedem ponit, ibi Religio-  
ni ac Regi victoriosa manu trophaũ erigit.  
Non hic testẽ appello Oceanum suo in ele-  
mento victum, testis est Ostenda; non Rhe-  
num tot vrbibus captis frenatum, testes sunt  
Rhinsberga & VVesalia; non territam eius  
magnitudine Frisiam, testes sunt Oldensa-  
lia, Linga, Grolla; non concussum Rheni Pa-  
latinatum, testes sunt Principes Germaniæ  
Protestãtes, qui de sola eius felicitate incre-  
dibiliq̃ue solertia sunt conquesti, quod plus  
ille consilio possit & astutã comitate, quam  
armis ipsi & potentissimis exercitibus. Sed  
nolo hic in ea omnia excurrere loca, in qui-  
bus Gloria lauros ipsi immortales, & tro-  
phæa quibusuis Heroibus inuidenda erexit.  
Illud dico, Farnesius, & Spinola omnẽ Belli  
Gloriam cateris omnibus Nationibus eri-  
piunt. Italis verò suis vendicant. Ut nõ opus  
iam sit in hanc arenam citare Triuultios,  
Gonzagas, Farinatas, Stipicianos, Fagiola-  
nos, Carmagnotas, Gattama letas, Hercules  
omnes & fortiores, quam vnquam alij exti-  
terunt, Italiæ nostræ Achilles. Quamquam  
dum vos hic *Commilitones*, vniuersæ  
Patrię vestrę militarem singuli virtutem ex-  
tollitis, ego vel vnam Italiæ nostræ urbem  
opponere possum, nec de Gloria obtinenda  
desperare. Quid si vobis Venetos opponerẽ,  
quorum inuictũ stat Imperium, dolente Tur



ca, inuidente Regum aliorum fortuna? Quis est, qui vincere eos nō optet, dum nemo potest? Quid si Genueses producerem, qui toties Oceanum, & in eo tot Insulas frānaerunt? Qui nō milites tantum, sed etiam Nationibus alijs Duces suppeditant victoriosissimos? Quid si Pisanos vobiscum conferrem, qui subingatis aliquādo Sardinia, Carthagine, Maiorica, Carthaginēsum Regem vinctum ad Pontificem Romā perduxerunt; Maioricæ verò Regem, Reginā cū filiolo Pisam adductā, interfecerunt? Quid si statnerem hic Florentinos, quibus cum Carolus octauus Francorum Rex durissimas fœderis contra libertatem condiciones imponere vellet, easque de scripto Regius Scriba recitaret, ibi Petrus Caponius ad Regem tum missus chartam è scribē manu arripuit, lace-ravit, & inspectante Rege cōculcans, Quandoquidem, inquit, vos Franci tam iniqua postulatis, agite tubas vestras inflate, nos Campanas nostras pulsabimus. Qua voce verè libera ita Gallos & Regē terruit, vt patriæ sue libertatem cōseruarit. Nihil dico de Senensibus, alijsq; populis nostris, nihil de militari robore Marforum, Peligniorū, Hernicorum, Samnitum, Lucanorum. Scit Orbis vniuersus peditatum Italicum omnium optimum esse. Nihil dico de Neapolitanis, quorum equitatum nemo nō omnibus alijs antepo-

reponit. Hæc Italarum est summa Gloria, quod quemadmodum Orbem olim nostrum vicerunt, ita nouum alium vincendum per Christophorum Columbum Ciuem suum inuenerunt & eius armis superari posse ostēderunt. Sed nimis fortasse multa, ubi dubia esse Gloria non potest. Tredecim aliquando Franci cum Italis itidem tredecim in arenam, vt suæ Genti armorum Gloriam affererent, apud Barlettam inspectante magno Consaluo descenderunt, victi illi à nostris sunt, & capti: Descendant in eandem arenam quicumque alij volent, vincuntur à nobis & militarem Italis Gloriam relinquent. DIXI.

ORATIO V.  
POLONI MILITIS.

**P**olonorum hodie si quis militare fortasse virtutem ignoret, Sarmatas antiquos cogitet, Sarmatae olim eramus, qui hodie Poloni: illorum robur, & inuisita fortitudo, nostra est posterorū infracta virtus. Illi erant, (cogitate Polonos) quos Danubio prohibere Cæsari Augusto tam felici tamque victorioso Imperatori satisfuit; quos tangere ausus non erat, quos ne armis inquietaret, Lentulum Legatū suum admonuit, quod arma ipsi vellent, pacem non intelligerent. Ita Romanæ fortunæ terminus

Sarma-



Sarmatæ, præsci nimirum Poloni, extiterunt. Ita, inquam, nulla Gens vnquam Sarmatis, seu Polonis nostris bellicofior aut fuit, aut esse potest, qui omnibus aëris iniurijs, frigidibus, tempestatibus, caloribus, & quibuslibet alijs discriminibus maiores, perque ipsa incedentes pericula Fortunam ipsam omni ætate superauerunt, Romanorum magnitudinem semper contempserunt. Quod cum non ignoraret Poëtarum ingeniosissimus Ouidius, cum apud maiores nostros in Polonia nostra exularet, ita de ijs ad superbos illos Urbis Romanæ Proceres pro singulari miraculo scribebat.

*Maxima pars hominum, nec te pulcherrima  
curat*

*Roma, nec Ausonij militis arma timet.*

*Dant illis animos arcus, plenaq; phætræ,*

*Quamq; libet longis cursibus aptus equus.*

*Quodq; sitim didicere diu tolerare, famēq;*

*Quodq; sequēs nullas hostis habebit aquas.*

Ea quippe est Polonorum natura, ut dura quadam indole fortes sint, & heroica generositate animosi. Non nos pericula terrent, non voluptates frangunt. Qui mollis ac delicatus est, Polonus non est. Mori honeste ac gloriose, est apud nos immortalitatem sibi comparare; turpiter vero ac per dedecus vitam retinere, quavis etiam peius est morte, omnes  
igno-

ignominia fugimus, & armis vindicamus, nostrum nemo mortem fugit, omnes vltro etiam per arma quaerunt. Neq; sane haec noua vobis videri debent. Ita nascimur Poloni omnes, vt ex matrum nostrarum vteris militares nobiscum animos in lucem adferamus; atq; vbi disciplina seuerior parentum ac popularium accessit, animosq; paulatim firmavit, ita validi & apti ad ardua quaecunque reddimur, vt non magis armorum fremitus, quam foliorum strepitum curemus. Et vero quomodo natura militares Poloni non essent, qui non tantum patribus vere viris & timoris expertibus, sed bellicosis etiam matribus nascuntur? In Polonia olim nostra nubere foeminae fas non erat, nisi tres prius hostes in praelio prostrauisset. Quam legem, aut certe consuetudinem etsi postea tanquam nimis rigidam sustulit Piaustus, naturam tamen & virtutem non sustulit, quam ita in filios suos parentes transmittunt, vt nemo nascatur Polonus, qui non idem nascatur bellicosus. Magnum hoc sane Naturae beneficium. Tot enim hostibus ferocissimis, Turcis, Moschouitis, Tartaris circumsepti ducere hunc spiritum non possemus, nisi & natura & arte Milites essemus. Sed quoniam de Belli Gloria hodie certamus, etsi illam, Bellatorum omnium iudicio teneamus, videte vos tamen illam, cognoscite, iudicate,

C

ac



50 CERTAMEN NATIONVM  
ac tandē cedite. Vna quasi in tabula intueri  
vos putate ex vna parte octoginta strenuis-  
simorum Bellatorum millia, tot aliquando  
Basilius Moschouitæ Dux aduersus Polonos  
eduxit; ex alterâ Polonorū copias tam exi-  
guas, vt Moschouitæ abacturos se flagris pec-  
cudum more Polonos iactarent. Quid de-  
inde vero? Ventum ad manus est, collata Du-  
cibus Constantino Ostrogio, & I. Suirzouio  
sunt signa, pugnatū est, ex Moschouitis cæsa  
quadraginta millia, capta sunt quinq; è no-  
stris desiderati vix aliqui tandem fuerunt.  
Aliã videte rursus tabulã, & in ea Moscho-  
uitarum ducenta millia, Lituatorū nostro-  
rum ac Polonorum triginta. Miscetur arma,  
cōfligitur, cadunt è Moschouitis millia no-  
naginta, è nostris Milites tātum viginti. Su-  
pra fidē videri potest, sed huius testis est Til-  
mannus, alterius Cromerus. Sanè supra ho-  
minum omnium opinionem virtute sua no-  
stri Duces excellunt, Ducibus ipsis ceteri qui  
militant vix profecto sunt inferiores. Quā-  
ta Gloria est Polonicæ virtutis in Ziemoui-  
to primo, qui Hūgaros, Bohemos, Cassubios  
Pomeranos grauissimis bellis attriuit & tri-  
butarios Polonis effecit? Quanta gloria no-  
strorum armorū est in Boleslao Chrobri, qui  
Boleslaum Bohemiæ Regem fudit, cepit, ex-  
secuit? qui Iarosslaum Russum subegit? qui  
Prutenos & Saxones coercuit? Quis vnquam  
glō-

gloriosior in armis Boleslao tertio Rege nostro fuit, qui quinquagies collatis cum hoste signis pugnavit, & toties constante fortuna triumphavit? Sensit victoriosam eius manū Henricus Quartus Imperator, qui pro iniquissimis, quas illi proponebat, pacis conditionibus, miserabilem suorum Germanorum stragem accepit. Sed nec in his tantum stetit nostræ Gentis gloria. In ipsum summæ gloriæ domicilium evasit Sigismundus Primus, qui & acquirere regna potuit, & contēnere. Daniæ, Sueciæ, Bohemiæ, Hungariæq; regna contempnit; Prussiam atque Liuvoniam Provincias ab Imperio Germanico auulsas Coronæ Polonicæ adiecit. Nec illi cum imbellibus aliquibus populis bella fuerunt; cum immanibus Turcis, & vicit; cū ferocissimis Tartaris, & triumphavit; cum potentissimis Moschouitis, & superavit, bella fuerunt. Equidem multoties animus fuit Germanis, pro Prussia Liuvoniæq; arma in Polonos mittere, verum cum toties tot exercitus suos ab illis frangi repelliq; intelligerent, nihil sanè Germanorum Imperatores tentare sunt ausi. Et verò quid aduersus Polonicam Nobilitatem tandē sperarent? Sigismundus Augustus cū in Comitij de Craconia Principe Regni vrbe muniēda aliquādo retulisset generosè sanè & gloriosè Poloni Nobiles, sua pectora Regno defendēdo sufficere, responderunt.



derunt. Et quisquam aduersus huiusmodi Nobilitatem quicquam auderet? Audeo dicere, & vobis omnibus audientibus liberè dicam, quod si Potentissimus Poloniae Rex solos Regni sui Nobiles, qui priuatis sumptibus pro Regno militare sunt adstricti, & qui cogi ad centum quinquaginta millia lenioris & grauioris armaturæ possunt, in aciem educeret, nullus in orbe toto Rex esset, qui eius sustinere impetum auderet. Omnem illi, quantumuis innumerum exercitum fugarent, dissiparent, funderent, confunderent. Neque illis pro Deo, Religione, ac Rege animus deest: ideoque instituit Mieczislaus, vt dum Euangelium operante rebus sacris Sacerdote recitaretur, omnes virilis sexus gladiū è vaginâ medium stringerent, sicq; omnibus, se pro Christiana Religione mori paratos esse, testarentur. Et verò quis est Catholicorum hodie, qui non Polonos tanquam Romanæ Religionis Propugnatores honoret? Illam Deus in nostram dedisse Clientelam videtur, vt cū ab Oriente ac Septentrione ferocissimæ sint Gentes, & infensissimi Christianorum Hostes, nos in Regno nostro, tanquam in communi propugnaculo eam aduersus Barbarorum omnium immanitatem fulminatricibus & inuictis armis nostris propugnaremus. Sint efferatissimi Turcæ, & Orbis Imperium spe  
sua

sua deuorent, ij tamen Polonorum arma reformidant. Sint Tartari plulquam Barbari & animos armis habeant duriores; ij tamen Polonorum aciem non ferunt. Sint alij quicumque Christiani nominis hostes pugnacissimi, audacissimi, impetuosiissimi, ij tamen Martium Poloniae nostrae Populum exhortescunt. Quãquam quis ita potens & immanis esse potest, quem Cosaccorum nostrorum inuicta virtus nõ deterreat? ij sunt, qui Turcarum potentiam suis armis sistunt, qui Tartarorum impetus vi sua retundunt, qui Moschis terrorem incutiunt. Ij sunt, qui metus omnis expertes hostium omniũ Barbaroũ & Hæreticorum arma rident, conatus eludunt, potentiam contemnant. Ij sunt, qui elapso nuper anno cum copias suas nostris copijs iunxissent, tres gloriosissimas de Turcis victorias nobiscũ reportauerunt, & parua manu de numerosissimis eorum exercitibus triumphauerunt. Senferunt vini eorum Morau non ita pridem, & sero suam à Cæsare defectionem deplorauerunt. Senferunt Silesij, & quorumuis hostium potius, quam Cosaccorum experiri furorẽ optarent. Senferunt Bohemi, quo suo ac quanto damno, nõ ignorât. Habent illi in gladijs suis mortem, quam certissimam effundunt, in animis mortis contemptum. Prædam volunt & hostium sanguinem, aliud nihil. Supra aurum,



argentum & gemmas animos habent. Vnde cum Iuonico bello hostium Dux captus ingentem pro liero summam offerret, nimirum sexies librati in statera corporis pondus, bis auro, ter argento, semel margaritis appensum polliceretur, illos tamē inuictos & immobiles Cosaccorum animos non permouit; sanguinem dare & vitam debuit. Cætorum Poloniae nostræ militum gloriam innumerè loquuntur ac testatur victoriæ, quarum obliuisci posterorum memoria nō potest. Illa sub Lesco Nigro celeberrima, quæ à paucissimis nostris Iazigum extinctæ sunt penitus reliquit, cæsa Lituanorum quatuordecim millia, ne vnus è Polonis desideratus. Illa sub Vladislao sanè admiranda, quæ Crucigerorum quadraginta millia profligauimus, triginta tantum gregarios Milites & Nobiles duodecim amisimus. Illa iterū sub Vladislao atque iterum aduersus Crucigeros penè profecto supra fidem, cum hostium quinquaginta millia ceciderunt, quadraginta millia cum signis vno & quinquaginta in potestatem captiuitatemq; venerunt. Quid dicā de Generosissimo Glinccio, qui septem Equitum Polonorum millibus viginti Barbarorum millia cecidit, totidem in vincula coniecit? Quid de Fortissimo Ioanne Tarnouio, qui Valachorum duo & viginti millia quatuor nostrorum millibus profligauit,

eorum-

eorumq; cum omni Nobilitate Palatinū ad iurandum sibi dandum coëgit? Non omnium hic recordari possum, nec omnia opus est commemorare. Vnius Samofcius, cuius obliuisci Polonia nō potest, vnus, inquam, Samofcius, cuius Gloriam Orbis vniuersus honorat, Polonicam in summo honoris fastigio collocauit. Hæc verò cū ita se habeant nullius profecto Gentis tanta esse in armis Gloria potest, quanta est Polonorū. Sed quoniam parta nobis tāta gloria verborum volubilitate non est, sed armorum nostrorum fulmine, supersedeamus verbis aliquando. Qui certare cum Polonis de Armorum Gloria volet, arma paret, non linguam. DIXI.

## ORATIO VI.

## BELGAE MILITIS.

**B**elgarum est Virtutem in hostibus etiam laudare, & partam per arma Gloriam alijs non inuidere. Vestra igitur omnium, O *Commilitones*, summa sit Armorum Gloria, non inuidemus Belgæ, agnoscimus etiā, admiramur, extollimus; at verò cuiquam cedere nunquam sanè solemus. Deprecare aliorū Gloriam humanitatis est nostræ, nemini palam concedere virtutis. Cum nascimur in hanc lucem Germanicum robur & Gallicam mentē induimus: Quippe & Gallis ac Germanis Belgæ sumus, magnum aliquidi



aliquid profecto orbi daturi, qui ex duobus tam potentibus populis in generosissimam validissimamque Gentem coaluimus. Neque vlla vnquam atas aut corporum nostrorum robur, aut animorum magnitudinem immutauit. Ille Bellicosissimus olim Cæsar & supra fortunam Imperator Gallorum omnium fortissimos nos Belgas appellauit. Ille verè magnus Imperator Germanicus ad comprimendos Germaniæ populos, & Romano Nomini succurrendum idoneos ac validos nos Belgas esse iudicauit. Quid nostris olim Neruijs bellicosus? Aduersus hos cum acie dimicaret Iulius Cæsar, retro gradum Veterani dederunt, ipse animum tanta trepidatione percussus habuit, vt de morte manu occupanda cogitaret. Nec sanè vicit ipse virtute sua Cæsar, sed in Cæsare Fortuna Neruios superauit. Ijerant nimirum, qui de suorum cadaueribus tanquam de vallo pugnabant; qui latissima flumina, vt paratum ex aduerso hostem inuaderent, trāsgrēdiebantur; qui altissimas ripas, vt instructū acie hostem deturbarent, ascendebant; qui excepta hostiū tela in hostes retorquebant; qui locum iniquissimum, vt loci oportunitate hostem pellerent, subibant; qui validissimum Equitatum pedestribus copijs in effusam ac turpem fugam conuertebant. Tales ac tam ingētes Neruiorum olim nostrorum

rum animi fuerunt, sed & hodie Neruiorum animos in VValonibus nostris habemus. Quid Batauorum olim magnitudine maius? quid eorum fortitudine fortius? Hi quoties pro Romanis in prælium descenderunt, toties Romanis victoriam gloriosissimam pepererunt; vbi verò suis armis Romanos inuaserunt, de Romanis semper summa cum laude triumphauerunt. Eorum castra Ciuili Duce expugnauerunt, cohortes deleuerunt, suâ Insula Romanum nomen expulerunt. Ab illis superatus terra marique Aquilius, victus Lupercus, fugatus Labeo, cæsus apud Vetera exercitus. Ijerant nimirum, quos frangere nulla vis posset, qui omnium conatus retundebant, qui integris & armatis equitum turmis rapidissima, latissima, altissima flumina transfatabant ac perrepebant; à quorum manibus alij milites victoriam expectabant, quorum custodiæ ac fidei suam Salutem Summi etiam Imperatores credebant. Tales olim ac tanti Bataui nostri, sed & hodie Batauorum ad arma robur & fortitudinē in Hollandis nostris, in Geldris, in Frisijs habemus. Imò veterum omnium Belgarum virtutem & animi magnitudinem nos hodie Belgæ tantorum maiorum non degeneres posteris retinemus. Ego testem vniuersam Europam appello, An non Belgium hoc nostrum publica quædam est



Arena, in qua iâ ab annis aliquot supra quadraginta omnes propemodum Europæ Populi summâ armorum contentione dimicauerunt? Tot exercitus hic terrâ marique deleti, tot acies validissimorum populorum caesa, vt vniuersa tegi Prouincia qua Equitibus, qua Peditibus omnino posset. Tot in Oceano, sed gemete, sed fremente, vi armorum consumptæ laceratæq; classes, vt integrum cooperiri mare potuisse videatur. Atque hæc sanè tot actanta Belgij nostri bella, quid aliud testantur & loquuntur, quam admirandam, inuictam, insuperabilemque Belgarum virtutem? Audeo profecto dicere, nec sermonem vnquam retexam, tantam illam esse, vt si sui Regis auspicijs, consilio, auctoritate nixa reliquum Orbem aggrederetur, de reliquo orbe triumpharet. Ingens Belgarum est Populus, valida ubiq; & læta Iuuentus, animus ad Libertatē aut mortem promptissimus. Cum discrimina instant, sumus: cunctabandi, cum iam adsunt, sumus iam ijs ferocissimi; in periculis impauidi, in rebus turbidis intrepidi, in audacia ipsa fortunati. Pro gloria, pro libertate nihil non Belge audemus, & cum ad artes omnes ac scientias Natura nos aptissimos formarit, tum ad consilia danda prompeissimi sumus, nec tamen tam lingua, quam manu factisque valemus. Nimirum vna est, quâ amamus ac quærimus,

belli:

Belli & Armorum Gloria. Pro illa toties in  
 Gallia Bellum gessimus, toties in Germania  
 pugnauimus, toties in Anglia, in Italia, in  
 Hūgaria certauimus. Et ipsa Asia nostris ar-  
 mis concussa, cum Ierosolymam cepimus,  
 non vnū sanè nobis debet triumphum. Non  
 ignorauit virtutem hanc nostram Conradus  
 Imperator, qui Belgarum cum primis forti-  
 tudine Vlißibonā Saracenis eripuit, & du-  
 centa hostium millia cecidit, aut in fugam  
 eouertit. Non ignorauerunt Angliæ Reges.  
 Non Eduardus tertius, qui nostrorum Belgarum  
 manu cum regnum suum recuperauit  
 fet, eorundem virtute aduersus Aquitanos,  
 Britannos, Normannos, Iberos fortunatis-  
 simo cum euentu pugnauit. Non Eduardus  
 alius, cui de Scotis triumphum Belgæ cōpa-  
 rauerunt. Non Richardus, qui Aquitaniam  
 per Belgas occupauit. Recensere omnes al-  
 ios nec opus est, nec possum, nec sanè vo-  
 lo. Quantus exstitit Carolus ille quintus,  
 miraculum armorum, & non manus,  
 sed verè Maximus Imperator? Illum Flan-  
 dria nostra in lucem edidit, Belga fuit: qui  
 cum Belli Gloria omnium ætatum Impe-  
 ratores superarit, tum nobis Belgis suis il-  
 lam Gloriam supra ceteras omnes Natio-  
 nes asseruit. Quippe eius victoriæ Belga-  
 rum potissimum manu sunt partæ, victa  
 Gallia, victa Germania, victa Italia,



concussa Hungaria, Africa superata. Quantus fuit Carolus ille Pugnax, quem Audacem appellant? Terror erat & fulmen Europæ, cuius amicitiam Potentissimi Principes & Reges ambiebant, victoriosum eius gladium formidabant. Fuit hic Belga, & Belgarum industria, roboreque inuidente Fortuna summam sibi Armorum Gloriam, & Belgis suis vendicauit. Quantus fuit Godefridus bullonius? O vere alterum mundi miraculum! Noster fuit, Belga fuit & Brabantia Princeps, qui Belgarum virtute tantas res gessit, quantas nec sperare, nec optare ceteri Duces audent. Hic est ille, qui postquam Ducatum suum bulloniensem Leodiensum Antistiti vendidisset, comparatum è Belgis suis ac vicinis populis Exercitum per Germaniam, Hungariam, Græciam, in Asiam Syriamque nusquam irritò conatu perduxit. Non illum astus & infidiæ Imperatoris Constantinopolitani permouerunt; non ingentia flumina & inaccessi montes retardauerunt; non sitis, non fames, non immensa barbarorum agmina ab incepto reuocauerunt. Fuit ille ad insolitum decus, & varijs cruentisque successibus parta semper victoria centies dimicauit. Admiremini, vos obtestor, eius & Belgarum nostrorum gloriam. Nicæam expugnauit, & cū ad pugnam barbari ruisent, trecenta & sexaginta barbarorum

rorum millia prostravit. Antiochiam sub-  
 uersis portarum obicibus, captis ascēsu mu-  
 nimentis, nudatis omni propugnatore mœ-  
 nibus sibi subiecit & cum illum iam victo-  
 rem trecenta Turcarum millia obsedissent,  
 non aliter quam paleas ventus omnes illos  
 suorum gladijs & hastis dissipauit. Taceo  
 Edessam, taceo tot Potētissimas Vrbes alias,  
 Nihil dico de Solymano Turcarum Dyna-  
 sta fugato; nihil de Calypha Aegyptio supe-  
 rato. Ierosolymam aggressus est, oppugna-  
 uit, expugnauit, Diadema eius & Sceptrum  
 obtinuit. Aderant paulo post immanissimi  
 Turcæ cum Equitum centum millibus, &  
 peditum supra quadringenta, in quos cum  
 fortissimus Bullonius noster equitum quin-  
 que tantum millia, & peditum quindecim  
 eduxisset, tanta secuta confestim est clades,  
 vt supra centum millia nostrorum gladij ce-  
 ciderint, & trecenta ferè millia fugientium  
 maris fluctus absumpserint. O te tanta glo-  
 ria immortalē, Bulloni! verè verè tu vete-  
 res omnes insigni pietate, indomito animo,  
 gloriosissimis & numerosissimis victorijs  
 superauisti! Quid nunc dicam de balduno  
 Belgarum Principe, & Ierosolymorum post  
 Bullonium Rege? Delibanda sunt hinc ali-  
 qua, non omnia dicenda, vos ipsi numerate.  
 Inuaserunt semel eum quadraginta barba-  
 rorum millia, ipse octo dūtaxat nostrorum



## 62 CERTAMEN NATIONVM:

millibus deleuit. Iterum Saracenorum innumera propemodum turba armis instructissima confurrexit, ipse (veritatem ipsam testor) ipse, inquam, cum equitibus quadraginta, & peditibus ducentis Saracenorum viginti millia suo in sanguine demersit. Plura sanè potuissent, sed lassabantur effuso sanguine nostri milites tam pauci, & hebetatum iam erat tot vulneribus mortibusque ferrum. Nondum animos Saraceni posuerant, redeunt & quindecim millia in aciem deducunt; balduinus peditum millia duo, & equites quingentos opponit, vincunt hostem, prosterunt, triumphant. Tanta vis erat belgicae virtutis. Si mihi hodie dicendum soli fuisset, produxissim huc vobis Pipinos, Henricos, Ioannes, Philippos, Maximilianos, Carolos, quibus clarissimos de se triumphos Sueui, Saxones, Bauari, Dalmatae, Longobardi, Sclauis, Hunni, Angli, Lusitani, nec profecto inuiti obtulerunt. Adeo notum est Orbi vniuerso vinci eum Ducem non posse, aet semper vincere, qui Belgarum viribus & animis ad victoriam contendit. Patiar hic latere Borlotium strenuissimum

mum belli Ducem, cuius nomen nemo  
 audire sine horrore poterat, nemo ma-  
 num experiri sine cladè. O Ducem supra  
 Martem & Mortem! Ego vero te nun-  
 quam præteribo, o maxima Belgarum  
 Gloria, *BY VOIE*; te enim,  
 etsi solum in hanc arenam produce-  
 rem adhuc tamen Belgarum summam  
 in armis gloriam esse plus satis de-  
 clararem. Tu enim cum Bohemiarum Re-  
 gis auctoritas exspiraret, tua & tuo-  
 rum Belgarum fortitudine spiritum illi  
 reddidisti, & vindicata Maiestate restau-  
 rasti. Tum Imperium cum sub Hæretico-  
 rum armis collabasceret, tua & tuo-  
 rum Belgarum manu erexisti. Planè nul-  
 la erat illi salus, nisi è Belgio nostro te stre-  
 nuissimum Ducem Matthias Imperator  
 euocauisset, quem Hungari, postquam  
 per dolum tredecim uulneribus confon-  
 derunt, Incomparabilem appellauerunt.  
 Tu etiam noster es Illustrissime Co-  
 mes Henrice BERGII, cuius bellacem ani-  
 mum & inuictum dexteræ robur depræ-  
 dicare non satis magnus Spinola po-  
 test, horrent plusq; am satis quincun-  
 que hostes. Et ut nostra tantum tempora re-  
 spiciam Belga est Fortunatissimus Tilius,  
 qui Serenissimi Bauariæ Ducis Maxi-  
 miliani



miliani fortunam tot in Bohemia & Rheni  
 Palatinatu victorijs illustravit, belga est  
 strenuissimus Verdugo, cuius anim<sup>o</sup> audacia  
 ipsa audacior ad Pragensem victoriam viam  
 aperuit; cuius manus BVQVOII magnitu-  
 dinem egregie propugnauit; cuius ardor  
 nullum pro Cæsare aut Rege periculum vn-  
 quam reformidauit. belga est generosissi-  
 mus de Fontaine, cuius experientiam in ar-  
 mis, & imperterritum ad omnia pericula  
 animum cum Hostes timeant, tum Flandria  
 suspicit, & suam ab eius manu securitatem  
 amplexatur. belga est, quem etiam hic ho-  
 noris causa nomino, fortissimus & pruden-  
 tissimus Mauritius Nassouius Princeps Au-  
 raicus, cuius victorias ac triumphos summâ  
 cum laude posteritas commemorabit. Vti-  
 nam tam egregius Mars belgicus pro Deo,  
 proque Religione suorum armorum fulmè  
 in veros hostes euibraret! Quamquam vi-  
 dere sane Belgarum virtutem ac Gloriam,  
 quam audire tantum præstaret. Putatote vos  
 intueri. Quomodo quæritis? Belgas supra  
 ossa cinerei que Saracenorum in Asia: Belgas  
 per media Turcarum arma victores in Afri-  
 ca: Belgas supra ipsum Militaris Gloriæ fa-  
 stigium vbique in Euiopa. Erant illi VVal-  
 lones nostri, qui in Bohemia altos triginta  
 pedum Pracaditij muros sine vilo admini-  
 culo scanderunt; & quorum in urbem adue-  
 nien-

nientium intueri vultus nequaquam Cities potuerunt. Erant illi, qui Piscensium muros suis manibus, cum ad irruptionem parum tormentis esset actum, suffoderunt, vrbeque tandem sunt potiti; qui Pragensi prælio in prima acie constituti Ducibus Verdugo ac Hainin victoriæ palmam cæteris omnibus præripuerunt. Erant illi, qui inuictam antea Strigoniam in Hungaria validissimo insultu occupauerunt, & quorum vnus cum in supremo vrbs munimêto vexillum erectum conspexisset, eo per densissimam glandium ignitarum grandinem ascendit, gladio vexillum rescidit, Turcam quædam accurrentem glande plumbea traiecit, propriâ caput illi machæra amputauit, victor cum capite ad Excellentissimam Carolum Mansfeldium Cæsarei Exercitus Ducem Belgam etiam nostrum redijt. Ex hoc vno belga Belgas omnes metiamini. Nihil amplius dico. DIXI.

## ORATIO VII.

## HUNGARI MILITIS.

**Q**uid Hungaria nostra sit, quid Hungarismus ignorare profecto videntur, quicumque de belli Gloria certare nobiscum contendunt. Quid igitur Hungaria nostra est? Hungaria Arx est, Clypeus est, murus est Christianæ Religionis, quam an-

nos



nos iam ultra ducentos immaniſſimorum  
Turcarum arma laceſſunt, perfringere ſu-  
perareque non poſſunt. Quid nos Hungari ſu-  
mus? Veſtri ſanè ac totius Europæ Patroni.  
Sine nobis nihil veſtra vobis, Germani, for-  
titudino valeret, iã enim vos Turcæ deuora-  
uiſſent. Sine nobis nihil veſtra vobis, Hiſpa-  
ni, prudẽtia prodeſſet; iã enim Madriti ſuam  
ſedem Magnus Dominus haberet. Sine nobis  
nihil veſter vobis, Galli, impetus adferret;  
iam enim Franciam vniuerſam Turcæ de-  
uſtauiſſent. Sine nobis nihil veſter, Itali, vi-  
gor poſſet; iam enim in Capitolio Romano  
Saltantrũpharent. Sine nobis nihil veſtro,  
Poloni, inſultu poſſetis; iam enim Cracouiã  
veſtram Ianiffari incẽdiſſent. Sine nobis ni-  
hil veſtra, Belgæ, generoſitas in armis face-  
ret; iam enim duriffimam ſub Imperio Tur-  
carum ſeruitutẽ ſeruiretis. Ira veſtra etiam  
omniũ conſeſſione per noſtras aduerſus tam  
immanem hoſtem mortes viuitis, per bono-  
rum noſtrorum iacturã ditescitis, per noſtras  
calamitates incolumes eſtis; per noſtros la-  
bores quieſcitis, per arma noſtra tuti eſtis.  
Quid igitur? Cedite, libenter etiam Hunga-  
ris, quorum armis vitam, ſalutem, libertatẽ  
veſtram debetis. Concedite palmam ijs, qui-  
bus eam eripere nulla Turcarum vis poteſt,  
cæteræ nullæ Gentes audeant. Pannonia  
priſcis temporibus Hungaria noſtra diceba-  
tur,

DE  
ur, & no  
mus. Quia  
noſtra priſco  
bos, terribile  
nos, efferari  
ren? Puerum  
ram fulgura  
Nationum, te  
tus etiam im  
aut Aliam h  
rum Imperiu  
noſtri  
Quippe aliq  
mus cladi bus  
al pendendi  
nam coegim  
ditam fecim  
ſumus, ce  
noſtrum  
in Orbe Pri  
di Domitor  
rum Regem  
Sed nolo h  
gloriarer  
na octo fo  
peratores  
legite fac  
ria Annu  
eam ſunt  
matico qua

tur, & nos Hungari Pannonos olim era-  
 mus. Quid si ergo ex vetere illa Pannonia  
 nostra prisca Pannonos, terribiles Vanda-  
 los, horribiles Gothos, formidabiles Hun-  
 nos, esferatissimos Ostrogothos produce-  
 rem? Fuerunt illi Turbines quidam armo-  
 rum, fulgura quaedam & fulmina, portenta  
 Nationum, terrores faculorum. Tremere-  
 tis etiamnum omnes, si vel vnum Totilam,  
 aut Atilam huc aduocarem, qui Hungaro-  
 rum Imperium per vniuersam pœne Eu-  
 ropam victricibus armis circumtulere.  
 Quippe aliquando nos Hungari grauissi-  
 mis cladibus & innumeris populationibus  
 ad pendendum nobis tributum Germa-  
 niam coëgimus, Italiam & Græciam stipen-  
 diariam fecimus, Galliam non semel af-  
 fluximus, cæteris Gentibus per arma nostra  
 ius posuimus; vt nullus esset tam potens  
 in Orbe Princeps, qui non Hungaros mun-  
 di Domitores formidaret, & Hungaro-  
 rum Regem tanquam Archiregem coleret.  
 Sed nolo hic cum fastu aliquo gloriari:  
 gloriarer sane, si ita vellem, quod Hunga-  
 ria octo fortissimos & bellicosissimos Im-  
 peratores Terrarum orbi dedit. Vos eorum  
 legite facinora, pleni sunt omnis memo-  
 riæ Annales. In ijs Aurelianum nostrum  
 eum fuisse legetis, qui vna die bello Sar-  
 matico quadraginta octo sua manu in-  
 terfe-



terfecit; pluribus vero ac diuersis diebus ultra nongētos & quinquaginta. In ijs ab Imperatore Probo Pannonio Sarmatas domitos, varios Tyrannos extinctos, Orbem pacatum reperietis. In ijs Andream secundum Regem nostrū admirabimini, qui bello Syriaco Hungarorum Gloriam inusitatis facinoribus illustrauit. In ijs animaduertetis à Ladislao primo victos Polonos, domitos Ruthenos, territos Saracenos. Sed hodie nō commemorentur illi, quorum effugere memoriam immortalem nulla vnquam aetas poterit. Nihil etiam dicamus de Carolis, Sigismundus, Ludouicis, Albertis, Belis, Geisis, Emericis, Vladislais, quorū Nomina virtutis quadam sunt cognomina, & immortales sempiternę Glorię tituli. Vnus commemoretur hic nobis Matthias Coruinus victoriosissimi Hunniadis filius, quem etsi Oriens Occidensq; aliquando horruerint, hodie tamē eius memoriã gratissima beneuolentia complectuntur. Erat ipse, quem vt eius inscriptū est sepulcro, facta Deū ostendunt, fata hominem. Cuius ad sepulchrum aliquando temperare sibi à lachrymis Maximilianus Imperator nō potuit, quod extinctum ibi iacere Regem intelligeret, qui nihil ferē vnquam, quantumuis arduum aggressus est quin ei ex voto cesserit. Tantum erat eius cōsiliū, tanta rerum omnium peritia.

ritia. Qui tantâ dexteritate militum animos tractabat, vt nullo stipedio etiam suam illi operam offerrent. Trophæorum eius ac nostrorum simul Hungarorum si placet recordari, nos Hungaros inprimis aliquando rebelles domuit; illi victa Bohemia trophæum euexit; illū fracti Valachi superiorem sunt confessi; ab eo sese afflictos Poloni nec iniuria proclamant; in eius aliquando potestatem Austria sese redactam nō inficiatur. Vnus ipse vno eodemque tempore omnium ferè populorum arma sustinebat, & vincebat. Ab eo Mahometes & Bajazetes Turcarum Imperatores pacē petierunt, pacem dedit; ab eo Hydrūtini auxilium efflagitauerunt, auxilium dedit, & obsidione liberauit. Illum non semel innumerabilibus copijs aggressi sunt Sultani dissipauit, concidit, cōpressit. Omnia Matthias noster vincebat, cuius ea celeritas fuit, vt penè tam cito belli locum teneret, quā militem legeret; tam cito hostium terga cæderet, quā eorum pectora inueniret, frontesque videret. Illi Hungarorum Achilles fuit, & summam Armorum Gloriam Gentibus omnibus inuidentâ Hungarorum armis adscripsit. Et verò vel propter hunc solum cedere Nationes omnes Hungaris deberent. Iactitent Græci suū Vlysem, Agamemnonem, Aiacem, Diomedem; ego Vlyssi Emericum Scepuensem, Aga-



Agamemnoni Stephanum, Aiaci Paulum  
 Cinisium, Diomedei Nicolaum Cyporem  
 oppono. Quantum sit Hungarorum robor,  
 vnus testari potest Blasius Magærus, qui ar-  
 matum hominem dentibus subreptum mi-  
 litares inter choreas armatus ipse circumfe-  
 rebat, & saltabat. Quantum sit Hungarorum  
 animus, hæreditarius hostis noster Turca,  
 cui eripere rusticam aliquam casam difficil-  
 lius sanè est, quam munitissimam Regibus  
 alijs Ciuitatem, declarat. Quippe nos Hun-  
 gari pene soli cum illo quotidie pugnamus,  
 ab illo æstimamur & timemur, illum vince-  
 re superareque scimus. Ille arma nostra ex-  
 citat, vigilantiam acuit, vires & robor exer-  
 cet, laboriosos, contumaces, infractos facit.  
 Et illa indoles nostra ita cõformata est à na-  
 tura, vt quandam habeamus in hostes fero-  
 ciam, duri animo & corpore simus, gladios  
 & arma quæuis in delitijs ponamus, equita-  
 re nulli meli<sup>9</sup> nobis sciant, & Equestres no-  
 stræ Copiæ omnibus Nationû omniû Equi-  
 tibus longè antecellent. Et vero ij omnem  
 in armis Gloriã sibi vindicant, quorum ani-  
 mus supra mortè, & supra vim omnem ar-  
 dor est inuictus. Tales sunt Húgarorum no-  
 strorum animi; Vnde cum in Agriæ ciuitatis  
 obsidione Mahometus Bassa deditiõnem fie-  
 ri per tubicinem postulare, erexerunt in  
 muris feretrum Hungari nostri, quo tacite,

ma-

magno tamē animo, malle se mortem ac sepulchrum, quam deditiōem respondebant. Repulsus est immanissimus hostis, & maior obfessorum visa virtus est, quam furor & armata vis obsidentis. O inuicti & fatis ipsis animi maiores! Paruū admodum, & vix munitum oppidulum est apud nos, quod Gunzium appellamus. In hoc aliquando vires omnes suas, quingenta nimirum hominum millia Solymanus conuertit, summa vi aggressus, summa vi oppugnauit; verum dum illud Hungari nostri Turischizio Duce maiori animo, etsi paucissimis cohortibus, defendunt, tantum immanissimi hostis apparatus in fugam ignominiosissimam summa laude conuertunt. Quid de illo Hungaro dicam, qui in Iayzæ obsidione Turcam illum, qui sui Imperatoris imponere turri signa contendebat, medium corripuit, & vna se cum eo præcipitem ex alto dedit? Quid de Nicolao Serinio, qui cum in obsidione Sighetii eo redactus angustiarum per famem, sitim, incēdia, ac rerum omnium inopiam esset, vt sustinere amplius vim hostium non posset, pretiosissimis sese vestibus, annulis, cristis, villosa galero exornauit, confirmatisq; suorum ad pugnam animis ante eos districto gladio sumptaq; parmula, cū aperiri portas iussisset, in medios ac confertissimos hostes irruit, multos generosissimè pugnando

do



do trucidauit, tandem sanguinem suum in hostium sanguinem sepeliuit? An esse vllibi terrarum tales ac tanti animi possunt? An eiusmodi quicquam in omni Antiquitatis memoria reperietur? Nulla vi frangi Hungari possunt; si fata vrgeant, vltro gaudentes ac gestientes in mortem irruunt & in ipsa morte de fatis triumphant. Etiam cū quandoque vincitur Hungari sauiente fortuna, gloriam tamē morientes auferunt, & ignominia hosti victori relinquunt. Sēsit & agnouit hanc Hungarorum nostrorum virtutem Scipio ille Belgicus, & Dux incomparabilis buquoius, cuius fortitudini cum cedere reliquus Orbis potuisset, cessit ipse Hungaris, & gloriosā morte triumphans plus nobis doloris, quam honoris reliquit. Senserunt alij plures Duces egregij & sua virtute immortales, quorum sepulchris Hungaria nostra ad sempiternam Gloriam suam exornatur. Nec illā ignorauerunt Poloni, qui Stephanum Batoriū Hungariæ nostræ præclarissimū Decus sibi Regē elegerunt. O Marte ipso maiore virum! O bellatorum Gloriam! Stephanum, inquam, Batorium; sed nominasse sit satis, ignorare quippe omnia videtur, qui Gloriam eius ignorat. Fuit enim is tantus, vt Amurathis tertij Turcarū Imperatoris Legatus, cum eius exercitum & omnē belli apparatus auidis oculis cōspicatus esset

effet affirmaret, quod si iungere sese & ani-  
 mo & viribus cum Imperatore suo vellet,  
 ne Orbem quidem terrarum eorum virtu-  
 ti magnitudinique parem futurum. Liben-  
 ter in ipso finiam, qui nostræ Gentis sum-  
 ma Gloria est. Quod si vererer, ne Hungari  
 adhuc cedere nolletis, fœminas certe no-  
 stras aliarum Nationum viris aut pares aut  
 superiores proferrem. Illam, quæ in Agricæ  
 obsidione cum marito depugnans, vbi occi-  
 sum illum animaduertit, non prius, mori  
 tamen ab alijs, sepelire illum voluit,  
 quam arrepto mortui ense Turcastres, qui  
 in murum enitebantur, contrucidauit. Il-  
 lam, quæ cum matrem grande Saxum ad  
 muros ferentem machinæ ignitæ globo, de-  
 iectam vidisset, cohibitis lachrymis Sa-  
 xum arripuit, eoque Turcas duos elisit, plu-  
 rimos vulnerauit. Illas, quæ suâ fortitudi-  
 ne eo Mahometum adegerunt, vt soluere  
 inglorius obsidionem deberet, cum nullo  
 ipsæ sanguine nullis mortibus moueren-  
 tur. Sed istâ mulierum nostrarum fortitu-  
 dine Gloriam obtinere non contendo. Viri  
 sumus Hungari fortissimi, bellicosissimi,  
 victoriosissimi, qui cum vinci non possi-  
 mus, superest, vt supremam ac maximam  
 armorum Gloriam possideamus. D I X I.



I V D I C I V M  
C A R O L I V,  
I M P E R A T O R I S.



AROLVS QVINTVS  
Imperator dicere sole-  
bat ad instruendum  
iusti Exercitus corpus  
sumendum esse caput  
ab Italis, Brachia & Manus ab Hi-  
spanis, Pectus à Germanis, Ven-  
trem & Pedes ex reliqua Gen-  
tium aliarum Colluue. Quod  
Itali prudentes essent & ingenio-  
si, Hispani Fortes & pugnaces,  
Germani Fideles & constantes,  
cæteri omnes ad munus aliquod  
apti & vtiles.

Qua



Quæstiunculæ aliquot  
Militares.

I.

Quænam res in Bello maximè  
sint necessaria?



RES, inquit Iacobus Triuul-  
tius magni nominis Bellator,  
Pecuniæ, Pecuniæ, Pecuni-  
æ. Carolus item Quintus  
Imperator Nervos Belli Pe-  
cuniam, Commeatus, Mili-  
tes esse dicebat; verùm si ex ijs vnum esset eli-  
gendum, Militem se veteranum electurum,  
cuius industria & fortitudine reliqua dno se-  
ex hoste comparaturum consideret.

II.

Quod discrimen inter Rusticos  
& Milites?

Ludovicus XII, Francia Rex dicebat Ple-  
bem & Rusticos pascua esse Tyranno-



rum & Militum ; Milites pascua esse Damonum.

III.

Quis finis fit Belli Ducis  
Christiani.

**C**Um apud Carolum Quintum Imp. Antonius Leua, aliq̄s Duces, Iulium Caesarem & Alexandrum extollerent, quere-  
renturque Imperatorem suis victorijs ad sua  
potentia & magnitudinis amplificationem,  
quantum posset & deberet, non uti, respondit,  
Imperator, Alexandro & Iulio Casari in bel-  
lis gerendis vnum fuisse finem Honorem &  
Gloriam; Christianis autem Ducibus duos  
esse propositos, Honorem, & Anima salu-  
tem.

IV.

Quantum positum fit in Astutia  
& fortitudine Ducis.

**C**Um aduersus Albertum Marchionem  
Brandenburgensem, Germania superio-  
ris Ciuitates, vt Norimbergē sibus au-  
xilio essent, numerofissimum exercitum in-  
struerent, interrogauit quispiam, Vt quid  
tantum populum aduersus vnum Principem  
nec ita diuitem armarent? Cui è primoribus  
Cui-

Ciuitatum vnus. Desipi, inquit, Homo; namque  
in Alberti astutia, & fortitudine omnium  
Germania Principum vires, opesq; continen-  
tur. Nec vana vox fuit: suas enim in Partes  
septemdecim Principes traxit, & Ciuitates  
ad Pacem petendam coegit.

V.

An Cæci Militare etiam  
possint.

**I**oannes Bohemia Rex, Henrici VII. Imp<sup>o</sup> 1.  
Filius, & Caroli IV. Pater ita Belli stu-  
dium amabat, vt cæcus etiam in militiâ  
proficeretur. Prælio interfuit inter Eduar-  
dum Anglia, & Philippum Gallia Reges, ma-  
num conferuit armatus, & fortissimè pu-  
gnans tandem occubuit. Ziska item Bohe-  
mus & cæcus bellum feliciter gessit, Bohe-  
mosq; Catholicos, & Teutones magnis cladi-  
bus affecit. Is moriturus cum rogaretur, de  
corpore suo quid fieri mandaret, Pellem, in-  
quit, mortuo detrahite, relictosq; feris cada-  
uere, ex ea tympanum, quo in prælijs vt ami-  
ni, conficite. Nam vt hostes viuentis aspectum  
non ferebant, ita mortui sonitum non fe-  
rent.

D. 33

Qui



## VI.

Quinam potissimum in pugnis committendis laudandi?

**H**enricus IV. Francia Rex eos vehementer laudabat, qui ferendi prouidenter captant occasionem, & dextro Marte cadunt. Illos vero, qui exploratū hostium viribus, si pauld debiliores sint, pugnare non audent, Sapientes Ignauos appellabat: Alios, qui nullo consilio in conferrissimos hostes irruunt, cū repugnare non possint, fortes stultos esse dicebat.

## VII.

An Urbium oppugnatio facile suscipi debeat?

**S**cipio Romanus aut tentare urbem non portare, dicebat, aut sic tentare, ut omnibus viribus, quod instituisti, coneris perficere. Nam bis ad eundē lapidē offendere simul periculosum est, & contemptui obnoxium. Onosander autem duo in urbium oppugnatione requirit, Ducis virtutem & prudentiam cum machinarum apparatus. Deinde, ut non minus occultent sua consilia obsidentes, quam qui obsidione urgentur. Volebat

lebat Appius Claudius obsidio<sup>re</sup>sem non trahendam, sed premendam esse. Quippe per intermissiones & interualla lentiores spes nostras facimus. Et, vt alius dicebat, Multa bella impetu valida per tœdia ac moras euanescere.

VIII.

An Belli Dux temporum habere rationem debeat?

**P**yrhus cum positis circa Naupliam castris Regem Antigonum in campum pugnamq; prouocaret, respondit Antigonus suam militiam non magis armorum, quam temporum esse, Pyrrho, si sua vite tedium illum caperet, satis multas ad interitum vias patere.

IX.

Quomodo animandi Milites vbi prædæ nulla spes est?

**A**lbertus Austriacus, Belgarum Princeps, in difficili illa longaq; Ostendæ obsidione, Castra sua in quatuor diuersa<sup>um</sup> Natione<sup>um</sup> acies partitius est, & quæ prima omnium irruptionem in oppidum faceret,



ceret. ei plurimam auri vim, præter stipendium, addixit, in præda nimirum remunerationem, quam ex vrbe minus sperabant. Vrbe pauld post, per Illustrissimum Spinolam positus est. Magna præmia magnos faciunt animos.

X.

Qualis esse Miles debeat?

**M**iles, secundum Vegetium, debet esse vigilantibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachijs, ventre modicus, exilior cruribus, suris & pedibus non superflua carne distentis, sed neruorum duritie collectis. Secundum eundem, aptior armis rustica plebs est, quam urbana. Quod, ut dicebat Cato, ex agricolis viri fortissimi, & milites. Strenuissimi gignantur.

XI.

An, & quo pacto Belli Dux quiescere in Exercitu possit?

**P**hilippus Macedoniarum Rex cum in Exercitu multo tempore dormiuisset, expegefactus tandem, ijs qui circa se erant, Tuto, inquit, dormiui, vigilauit enim Antipater.

ter. Quo dicto prudentissimus Rex indicavit,  
tuto Belli Ducem aliquando dormire posse,  
dum aliquis è præstantissimis, qui secundas  
teneat partes, interea exercitui præficiatur.

XII.

Ancum obsessi mulierculas, pueros &  
senes dimittunt, remittere de-  
beant obsessentes?

**O**rozander suadet, vt cibaria citius  
consumant, & hostium magis, quam  
sociorum munere fungantur. Alphon-  
sus autem Aragonia Rex in Caieta obsidione  
cum Oppidani impuberes, senes, mulieres  
vrbe pepulissent, miseratione motus summa  
eos humanitate excepit, & obijcens, cur il-  
los non remitteret, cum ita futurum esset, vt  
breui vrbs in potestatem veniret, Plures, in-  
quit, facio horum vitas, quam centum  
Caietas. Hac humanitate urbem in deditio-  
nem redegit.

XIII.

An Milites in Exercitu auro & monili-  
bus ornati esse debeant?

**P**escennius nolebat à milite aurum gem-  
mas & monilia in aciem asportari, ne  
alacritas hostis, prædæ cupidine inflam-  
mare-



maretur. Romani horridum militem esse volebant, non calatum auro argentoq<sup>ue</sup>, sed animis & ferro fretum. Et Mutius Sfortia Alphonsum Neapolitanum risisse dicitur, cuius exercitu nihil erat videre splendidius.

XIV.

Quantum possit Ducis Exemplum?

**C**um Rodolphi primi Imperatoris in Pralio contra Ottocarum Bohemia Regem Exercitus siti laboraret, animosq<sup>ue</sup> remitteret, ablata est rustico cuidam messoribus potum ferenti, hydria sicera plena, & Imperatori oblata. Quam cum ille vidisset, Reddite, inquit, homini isti vasculum suum, nam ego Exercitui, non mihi siti ebam. Hac voce omnium sitim extinxit: resumptis mox animis victores euaserunt.

XV.

Quomodo accipiendæ sint à Belli Duce Ciuitates deditæ.

**L**eo Imperator, Si Deo, inquit, annuente subijciatur tibi ciuitas, vel ob metum obsidionis, vel aliam ob causam, clementer ac beneuole erga obsessos afficiaris.

Sig.

Sic Alexandri Magni clementia plurimas in  
deditionem vrbes accepit.

XVI.

An Clades accepta addere ani-  
mum valeat?

**C**onsalvus Fernandes praclarus militis  
Dux cum Neapolim missus aduersus  
Gallos esset, prioris fortuna sua memor  
in antecessum sibi victoriam pollicebatur. Vnde  
remissius sese gerere, hostemq; contemne-  
re cepit, veluti nominis sui fama percussus.  
Tandem cum Gallis conseruit manum, quo-  
rum Dux Dominus d' aubigny, & ingenti af-  
fectus est clade. At ille cautiior inde factus  
sic postea sese gessit, vt Gallos diuersis pralijs  
profligarit, ac regni tandem sinibus magna-  
cum sua laude depulerit.

F I N I S.







Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, including the word "Gottes".

Vertical column of handwritten text on the right side of the page, likely a list or index.

Decorative flourish and handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date.



